NONÆ
NOVEMBRIS
Æternitati Consecratæ

JN

Memoriam admirandæ illius liberationis Principis, *&* Populi *Anglicani à Proditione Sulphurea.*

Hæc est Dies quam fecit Dominus, lætemur & exultemus in illa. Psal. 118. 24.

OXONIÆ,

Excudebat Iosephus Barnesius.

An. Dom. 1607.

4° C. 70.

Ro: Russ: ex don. Authoris

4° C. 70 Th. (1)

BIBLIOTHECA BODLEIANA

AD PRÆCELLENTISSIMVM
Principem IACOBVM, Magnæ Britanniæ Franciæ & Hiberniæ Regem:
Illustrissimum Henricum Principem:
Nec non Ad
Fidelissimos Conciliarios,
PRÆSVLES vigilantissimos,
NOBILES Ornatissimos,
IVDICES Integerrimos
EQVITES animosos
Civitatum & comitatuum Municipes

Omnes vtriusq; Parliamenti
Domus Assessores

Omnes tanquam titiones
é flamma ereptos.

PRÆFATIO AD LECTOREM
de instituto in renovanda huius Liberationis memoria.

MVlta sunt Christiane Lector quæ me ad memoriam *Magnæ huius Liberationis* renovandam provocarunt. *Primum est Dei gloria*, cui impensiùs consulitur, quo ipsius beneficia sæpius recoluntur. *Secundum est Magnitudo beneficij*, quam quo frequentiùs considero, eo magis dilatari pectus meum intelligo, & quasi novum vas, novo quasi liquore adeò repleri, vt continere nequeam, quin alios etiam vino meo exhilarem. *Tertium est contrarius effectus* quem tanta Dei bonitas in Christiano hoc orbe produxerit. Alius *securitatis* in pluribus qui inebriati hac misericordia Dei altum stertunt & mali Diem à se longè propellentes frena eo relaxarunt magis Impietati, quo magis gratia abundavit, et dum malum non timent, ad malum se præparant. Alius effectus est *timoris* in paucioribus qui magnitudinem beneficij cum ingratitudine maximâ conferentes, & dolent merito

pro

prò abvſu tantæ miſericordiæ & non immerito timent miſericordiæ tam magnæ abvſum in iuſtam vindictam exiturum. Hos ego confortandos, illos excitandos in hijs meditationibus cupio: Præcipuè vero meipſum: cui cum extraordinaria liberatione liberationem hanc generalem Deus ſanctificarat, vt me magis in *obſequiũ ſibi* hac ratione conſtrinxit Deus, ita in vota etiam nõ invitum provocavit, vt anniverſariam huius beneficij commemorationem pro virili meo haberem. Atq; eo magis ad hæc vota perſolvenda me alligatũ video, nõ ſolùm vt pio Parliamẽti noſtri propoſito reſponderem cuius felicibus auſpicijs peculiaris tanto celebando beneficio ſolennis dies aſſignatur: ſed vt impietati os obdatur; adverſariorum conſternẽtur animi, conatus perfringãtur quò magis Deum contra ipſos pugnare intelligant, quò magis in ſalutare dei nos gaudere perſpiciãt Prædicabo itaq; magnalia Dei quoad vixero generationi venturę ſtupenda eius opera enarrabo, ſic ex ore infantium & lactantium ordinaſti robur & gloriam o Deus; vt inimicũ et vltorem deſtruas. Non levis hic apud me momenti fuit Chriſtiani orbis inſtructio, quem communi hoc Jdiomate compellandum ſtatui, & ad Antichriſtũ evertendũ hâc buccinâ excitandum, cum ſecuritatem ſuam ab ipſius confuſione neceſſario dependere intellexerint. Jſtæ fuere ſecundarum cogitationum rationes. Pſ. 8. 3.

Reliquum eſt vt de ipſo meditationum fonte paucis te admoneam, et docendi formulam cenſurę tuæ ſubijciam.

Vides me meditationum hos riuulos é ſcripturarũ fonte derivaſſe, et Davidem tũ *afflictionum*, tum etiam

liberationum virum mihi exemplar propoſuiſſe. Ille ab inimicis occultè impetitus voce ſua ad dominum clamat, & precationem ſuam in conſpectum Dei ſiſtit: Vt fidem ſuam acuat, deſperatam adverſariorum tum *prudentiam* tum *potentiam* enarrat. Hinc incipiunt meditationes noſtræ, & proditorum tum *potentiam*, tum *calliditatem* vnà comparant. Progreditur *Davides*, & adverſariorũ *confuſionẽ* ad Dei gloriã prædicat, v. 7. & 8. cõcomitamur nos, & proditorũ ſimul apud nos *ſtupendam confuſionem* ſecundo loco enuntiamus. Concludit Davides ad orbis inſtructionem et eccleſiæ ſolatium verſ 9. & 10. Concludimus etiam & nos ad liberatorũ gaudium & liberandorum fidem confirmandam. Hic fons meditationum, hæc docendi formula. Corticem non attende ſed internum corculum; habẽt iſta quidẽ quod humiliet, ſi literam ſpectes, & fortaſſis non deeſt quod ſapiat, ſi penitius guſtes: tantum moneo arandum eſſe cum iuvenca meâ ſi me probè aſſequaris; & oculos tibi oportere eſſe in capite, ſi à longè proſpicies, Deus mihi teſtis cui ſervio ſpiritu in Evangelio filij ſui, quàm cupio te participẽ immenſę illius miſericordiæ, quæ in magna hac liberatione plenâ manu offertur, quamq; in hiſce meditationibus hoc vnum egi, vt vnum neceſſarium in hac bonitate Dei percipias. Accipe itaq; manu quâ offertur, et bonitate mecum Dei noſtri fruere: atq; audi'n? Vt verè perfruare; ne ſis peregrinus in operibus Dei, enarrant illa quidem Opificis potentiam, & ad fidem confirmandam vel maximè faciunt. Atq; audi'n? Habita mecum pauliſper in meditando hoc opere Dei, & conſidera paucis quid Deus in hoc fecit pro anima tua. Certé quò magis expendas, eo dilatere magis; & ſi

dig-

dignè apprehenderis tantam bonitatem Dei; aperietur os tuum mecum ad glorificandum Dominum nostrũ; & si nouum canticum cum pijs in hac vita concinueris æternum tandem hallelujah cum cælitibus canes Hoc te docebunt Nonæ. Hoc tibi exopto, hoc precor, suspiro; hoc mihi optari precor ex communi vinculo. Vale, intellige, sape, resipisce. Ecce Dominus veniet citò, & merces ipsius cum illo. Beatus quem Dominus, cum venerit, sic offenderit exercitatum. *Amen.*

Tuus in Domino

Thomas Cooper.

In Nonas Novembris Romanis nefastas, nobis fastissimas.

Hest. 3. EXitium statuens *Iudæis* Impius *Haman*,
Infami Tragicum destinat arte diem.
Perdere sic *Anglos* statuit dum *Proditor*, ipsi
Romæ infausta *scholâ quinta Novembris* adest.
Fausta dies sed versa pijs, infausta nefando
Authori; & nobis fausta, nefasta dies.
1. Tit. Omnia sic fuerint sceleratis fausta nefasta;
Rom. 8. Inq; bonum sanctis verterit omne malum:
Ergo *Papista* tibi superest infausta *Novembris*
Quinta, mihi semper *fasta* colenda dies.

In proditionem sulphuream Nonis Novembris nobis intentatam, & detectam.

NOnis *Novembris* instat horrendum nefas,
Cui par nec ætas prior, nec proferet
Posterior vnquam, *Gloriam*, & *Regem* simul
Vnàq; *Regnum* destruere, *spem posteram*
Successionis, & simul *sociam thori*
Regniq;, fidos *consules*, *proceres*, *sacræ*
Et *pacis*, atq; *Iudices* simul *fori*.
Regniq; nervos, brachiaq;, ventrem, pedes,
Omnia vel vna hęc perderet nobis dies.
Nonæ at *Novembris* detegunt tantum nefas:
Reddunq; nobis Rege servato omnia.
Sint ergo Nonæ prosperæ, sit Regimen

Si

Simul beatum, Salvus & Rex & tori
Fęcunda semper socia, sit soboles ovans:
Consilia sintq; fida Prę sules Dei:
Atq; esto fortes Nobiles, populus simul
Edoctus aptè munus atq; homini, & Deo.
Nonas Novembris sera sic soboles colet.

In ignem sulphureum, quo nos absumere statuebant.

IGnis Edax elementorum sæviſſimus audit,
Cetera crudeli quod vorat vsta face:
quod si sulphurei rabiem conspexeris ignis
Hic elementaris iam propè mitis erit.

Quod Pontificia Religio doceat: & approbet proditionem.

DIcite *Sacrifici* mira qui fronte tenetis.
In vestra nocuum religione nihil
Qui contra Reges vos quicquam audere negatis
Aut vos posse reos proditionis agi:
Quæ Regi Diadema sacrum capite abstrahit vncto:
Et licito solvit subdita colla Jugo:
Fundere quæ docet in Regalia pocula virus,
Et fodere impurâ Regia corda manu:
Hęc rogo religio quæ pessima dogmata spargit;
Proderene, an Reges illa necare docet?

In Martyrium Proditorum, Quodq. ipsos Romana Ecclesia Martyris corona honorat.

PRoditor en Romæ Martyr celebratur, ad astra
Fundendo sacro sanguine, facta via est.
Tale malis cælum, talis via: conspice cæce,
Astra via hęc? ficus carduus anne dabit?
Pontificis cælum nunquam mihi scandere fas sit:
Si nisi non turpi proditione patet.
Spes mea, me purgare malo, non tingere, cæli:
Debita quæq; homini solvere, quæq; Deo.

In Iesuitas quod non Iesum sed Iudam referunt.

QVid sancti nomen præ vobis fertis *Iesu*?
Iudas præceptor proditionis erat.

In Garnettum et Iesuitas proditionis faces & Consultores

PRæteritum laudat, præsentibus invidus æger
Peiora questus, propria quæ vult omnia.
Ambitione furens dumq; omnia concipit ipso
Minora, redigi statuit in nihilum omnia.
Infelix medicus Jebusita: sed aspice finem
Nobis ruinam miscuit salvis sibi;

Quod proditio hæc non Imputanda toti nationi Anglicanæ, sed Papistis revera profugis et degeneribus.

HEu vbi nunc pietas? Audaces dicitur Anglos
Armasse infidas in sua regna manus.
Conatosq; simul florentem excindere gentem,
Et dare crudeli membra caputq; neci.

Sed

Sed quæ ſæpè ſuo mendax iure audit, in iſto
Haud merita eſt certam crimine fama fidem.
Non illud fecere Angli; fecere Papiſtæ;
Erutaq; è tenebris dogmata Roma tuis.

In Cateſbeium *ſceleris iſtius*
Excogitatorem.

AVthor eras alijs ſceleris Catſbeie, ſed illis
Idem mortis eras author et ipſe tibi.

In eundem.

Dum cui te aſſimilem mecum *Catſbeie* voluto
Occurrit menti vipera ſola meæ.
Exedit illa ſuæ prægnantia viſcera matris,
Auſa tua in matrem non meliora tuam.
Vos tamen hoc tandem video differre, dediſti
Jpſe tibi, matri quam ſolet illa, necem.

In eundem.

Africa Monſtrorum mater fęcunda vocatur,
Sed monſtris cedit terra Britanna tuis.
Nam facie humanâ humanoq; per omnia vultu,
Dic mihi quonam alio vipera nata loco eſt?

In Fauxum Incendiarium.

COnatus patriam ſceleratis vrere flammis,
Quàm benè deductum de face nomen habes!

In eundem.

Visa tulisse facem est vtero Priameïa coniux
Lascivum prægnans sed tulit illa *Parin*:
At tua te mater gravidâ dum fervet in alvo
Visa tulisse hominem est, sed tulit illa *facem*.

In eundem hoc vnicè dolentem, quod scelus non obtinuit.

ÆTerna temporalibus signat Deus
Supplicia, si non displicet præsens malum.
Quod ergo tibi condoleat infælix nefas
Fælicitate priuat æternâ magis.

In eundem proferentem quod putaret Deum tam pium opus (intelligens prôditionem) nolle detegere.

MEns cęca cui sit, nuncupans malum bonum
Facilè patronum sceleris is faciet Deum.
Ergò papistas Atheos tandem vide.
De prauat ecce qui Deum, simùl negat.

Quod Papismus sit Atheismus.

IN Iure non omninò fit quod fit malè.
Deum Papista cum colat malè, non colit.

In crudelem illius misericordiam qui literas ad vnum servandum misit. cum tot omnium ordinum optimos internecioni devoverat.

Sic

SIc pius in vnum, & impius in omnes, sciens
Volensq; malus es, stultè & invitè bonus?
Jnvita pietas displicet & etiam bonis:
Jniquitatem odêre frustratam mali:
Bonis malisq; infense cui tandem places?

In Garnetti Canticum
Gentem auferte perfidam.

O sertse nequam ex ore damnaris tuo
Auferte Gentem perfidam clamas, quasi
Iudex pius: sed interim dirum paras
Perfidia quod non vlla patrauit nefas.

In eiusdem Canticum.

GArnettus ecce perfidam Gentem clamat
Auferte pœnas ipse perfidiæ breui
Daturus: O quàm splendide dæmon malos
Deludit! O quam liberat sanctos Deus
Vel Judicatos! Jmpios quam iudicat,
Vel Judicantes! vnico quæ laus Deo?

In bullas Pontificias Diris nos deuoventes:

Sibi maledicit quisq; maledicit bonis
Maledicta quæ vis integris vertunt benè.
Sic execratos liberat iustos Deus:
Et execrantes implicat linguâ suâ.

In Digbium Elizabethæ Principi sub venationis specie insidiantem.

QVam videt in ſylvis Actæon dama, diana eſt,
Nec fugit ora canum, quem fugat ira deæ.
Digbius in ſylvis quærit damamnè, deamnè:
Carnificem, fugiens; num fugit, anne Deum?
Captus vtriſq; cadit, paſſus cuiterumq; crucemq;
Mortem vnus cervi ſuſtinet, atq; canis.

In Proditorum colluviem & eorum ſedulitatem.

COnſilij præſes fueras *Catſbeie* nefandi,
Sed ſceleris comites magna caterua tui:
Quorum ſecretos terræ cauat ille meatus,
Aptè ſulphuream digerit ille ſtruem,
Ardentes tractare faces hic novit & igne
Exuſta in nudos vertere tecta rogos.
Quos vnum hoc rogo, num poſſint mihi dicere, quãtũ
Jgnis ab infernâ diſcrepet iſte face?

In Ieſuiticam Doctrinam æquivocationis.

QVid loquimur ſtulti? namq; effecere papiſtæ,
Caſſè verba eſſent, & ſine mente ſoni.
Dum dubijs ludunt deceptas vocibus aures,
Mentibus & retinent condita ſenſa ſuis.
Heus tamen: Anne licet veſtris mihi retia technis
Tendere? & hâc vafros nectere fraude dolos?
Tùm multâ vos eſſe fide facilè ipſe fatebor;
Sentiet at Græcam mens mihi cauta fidem.

In confidentiam proditorum.

OBſcura cum ſint pectora malorum, malis
Tenebroſa, ab omni luce ſemota, autumant

Lu-

Lucem esse nullam, sed dies noctis mala
Revelat, & lux scelera non patitur tegi.
Securus est quo quis magis, tutus minùs.

De eadem.

Securitas & pax mali cum dixerint:
Tum subitus ipsos exitus iustò obruet. 1. Thess. 5. 3.

In vanam Iebusitarum de Spiritu Sancto iactantiam in hâc pyriâ proditione confusam.

ESse quod ignito plenum te flamine iactas,
Quodq; regit gressus spiritus ille tuos.
Jam tandem Jebusita tibi, iam credimus; actis
Se satis ostendit spiritus ille suis.
Inflammante etenim sufflamine pulveris atri
(Quâ *Rex conventus*, quâq; *Senatus* erat.)
Velle simul *Regem* totumq; afflasse *Senatum*.
Annon ignitus spiritus ille fuit?

Ad Dominum montis Aquilini literas ipsi ab ignoto traditas, quæ summam proditionis obscurè continebant, prudenter propalantem.

PRogredere cauto pede, super spinam ambulas:
Chartamq; tange mollius, tractas facem.
Nascẽtem amicos flammam, vt extinguant voca
Ne tectus ignis vrat & crescat magis.

Ad

Ad eundem felix instrumentum liberatæ Patriæ.

PRetiosa amico vita tua (domine,) magis
Pretiosa Christo; literas quod ceperis.
Hijs namq; vitæ patriæ dum consulis,
Eius salute, te manet maior salus.
Modò restituta luce, iam tenebras fugas.
Vt sic Juventus in modum crescat Aquilæ.

Ad Regem ex obscuris literis Pyriæ Proditionis naturam coniectantem.

Pro. 16. 10. Pro. 25. 2. DIvinat labijs Rex optimus; vtq; recludat
Abdita, prudentis gloria Regis erit.
Sic tenebris damnum quod voluit epistola, dius
Eruit, et fundum Rex petit inde mali.
O sic prævideas semper (Rex magne) futura
Damna, tuis verè cautus, & ipse tibi!

Ad eundem prudenter suspiciosum, & loca periculis subiecta bis insp. trari præcipientem.

Morbus Tyranni infida suspicio cluit.
Securus esse, cognito, stulti, malo.
Rex ergo prudens, suspicax item mali,
Vt pateat vltrà, iam quod obscurum latet,
Intus Cavernas sæpe rimari jubens
Profertur ecce sulphuris tandem Cadus.
Suspitio felix grande præveniens malum.

Ad

Ad eundem gratias Deo agentem pro liberatione & Annuum Festum illi operi destinantem.

Proximus ecce Deo, Primus sua vota rependet
Rex pius, & flexo poplite Numen adit.
Incubuisse suis fassus, Tutamine dignum
Se nullo, Proceres in pia vota ciens.
Atq; vt se memorem bonitatis tempora sera
Aspiciant tantæ, Condita Festa dies
Perpetuó celebranda suis, quos pollice forti
Eruit é pyria proditione Deus.

Ad Regem præcellentissimum *Incendio ereptum Carmen gratulatorium.*

SAlve chare Deo, decies qui millibus vnus,
Dignior, Angligenis lux & ocelle tuis.
Tene Deus nobis seruaverit, nunquid ocellis
Hijs te conspicimus? sufficit: Jo satis
Quod Rex sit salvus: mea gloria surgito: terra
Quod Rex sit salvus, personet atq; polus.
Te semper servet Deus o Tuus, auspice tuto
Pergito, subijcias perfida colla iugo,
Ecce animas prædatur *Aper Romanus*, ovile
Christi dilacerat: quin miserere gregis
O Rex, quin saltem propriè sit cura salutis,
Sitq; salus populi firma salute tua.

Ad Illustrissimum Henricum Principem, *tanquam titionem è flammâ ereptum.*

¶ ¶ ¶ De:

DEliciæ Patris, patriæ ſpes, & decus orbis,
Henrice ſalve principum, quos ſol videt
Optime cunctorum, quæ te tam grata dedere
Secula, maligna quid vel invidia mali
Jn te deprendit; populo ſervatus, & ipſi.
Pergas, priores, temet vt ſuperes bonis.
Sub te *Turca* ruat, ruat *Antichriſtus* avitam
Relligio repetat gloriam, pænam ferat
Proditio; & Chriſti regnum acceleretur. vt omnes
Capita levemus, quod redemptio propè eſt.

Ad prudentiſſimos Conſiliarios interitu ſimul vindicatos.

Pro. 21. 30. NOn contra Dominum quicquã potuiſſe malorũ,
Conſilium; experti vos (veneranda Cohors)
Ergo ſit à Domino prudentia veſtra, quieſcat
Jn Domino, Studium pro dominoq; fiet.

Ad vigilantiſſimos Præſules Vitæ reſtitutos.

IGne Tribum Levi purgandam ſpiritus infert:
Abſumi ſtatuit proditor igne tribum.
Perdere ſic ſanctos decreverat impius *Aſſhur*,
Quos purgare Deus corripiendo iubet.
Sed purgando pios, ſe perdidit impius *Aſſhur*;
O ſit proditio perdita noſtra ſalus!

Ad Nobiles Liberatos.

NOn vos (heroës) generis fiducia tollat;
(Quotquot mortales pulvis & vmbra ſumus.)

Ecce

Ecce manus Domini; non vos; ne pulvis in altum
Aera (sed non sic itur ad astra) vehat.
Ergo manu Domini vos confirmare studete,
Ne temeret posthac vos scelerata manus.

Ad subditos vt contenti sint conditione suâ, & Lubricam Conditionem Principum precibus muniant.

NOn Jma sedes Jnfimos ægrè ferant,
Cum summa videant sæpè fulminibus quati.
Rex monte in alto, sed parùm tuto viget.
Hunc ergo populus sulciat precibus suis.

In Garnettum Iesuitarum & Papismi ruinam ex sulphurea proditionis detectione ominantem.

AN metuis *Gedeon* hostes procedere contrà? Iug. 7. 13. 14.
Auspicium fœlix quin vel ab hoste cape.
Et dubitatur adhuc fatum accelerare papismi,
Cum Jebusitarum funus adesse vides?
Garnetus infectâ sic proditione ruinam
Sectæ instare suæ prædicat è Tripode.

In sulphuream proditionem, quod illius detectio Antichristi ruinam prædicat.

VT non *Garnetto* credamus pseudoprophetæ:
Papæ ruinam fracta proditio probat. Ioel. 3. 13.
Hîc scelus ad *summum*: *Maturum falce secandum*.
Falx ergò iusti Roma te expectat Dei.

Hîc *desperatam meretrix* se prodidit. Ergò
Destructionem prædicat clarè suam.
Non *prior exemplar*, non *ætas postera tale*
Dabit; ergò funus ad suum scorta properat.

In Proditores pulvere suo correptos.

ECCe pijs foveam parat Jmpius, illius atqui
Fit Tumulus, laqueo prenditur atq; suo.
Sulphure sic iustos dum proditor impetit, illo
Corripitur, telis confoditurq; suis.
Discite iustitiam moniti, confidite Justi:
Se contrà, vobis impius arma dabit.

In Proditores sublatos in crucem.

AGgreditur quicquid per fasq; nefasq; Papista:
Omnia sunt signo sanctificata crucis.
Est fronti crux, est crux oculis, crux pendula collo;
Et referunt patinæ, & pocula signa crucis.
Hac spe cum Christi tentarunt nuper ovile:
Quem coluere ducem, tunc habuere crucem.

In eosdem sanguine suo cælum promerentes.

PEllex quam populus colit Quirinus,
Rubro dum satagit cruore tingi,
Tingi quod nequeat cruore Christi:
Jnfantes animas Deos Deasq;.
Diris devovet, heu scelus piandum
Nullo sanguine censuit prophana
Jntonsam illuviem sui *Loyolæ*,

Absterſam ſatis eſſe, ſi parentet
Membra ſanguine chariora Chriſti.
Eſto; ſit meritum. Quod inde pellex
Æternis meruit permi tenebris.

In eoſdem iuſtè retaliatos

QVis Romanenſes neget optima velle Britannis
Quos decreuiſſent tollere ad aſtra ſimul?
Nec ſumus ingrati contra, quam flamma paraſſet
Nobis, his laqueus ducit ad aſtra viam.
Ad reſtem redijt pia fraus. Nunc huc ades ohe,
Vt videas diuos (perfida Roma) tuos.

In ipſos proditionem tam horrendam iuſtificantes.

PArcite Papicolæ vos queis *Romana* ſub *Anglis*
Pectora nominibus, *cordaq; Ibera* latent.
Parcite, quam linguâ pudet obiectaſſe malignâ
Vſpiam in innocuos crimina falſa viros:
Pænitet immeritos calamo læſiſſe ſuperbo:
Pænitet intactam contemeraſſe fidem.
Eſtis in excelſum fida, & pia turba *Iacobum*,
Jam fateor: falſò eſt veſtraq; læſa fides.
Qui cupit *excelſum* ad cœlos efflare *Iacobum*,
Nonnè in te ſatis eſt (*dive Iacobe*) pius?

Ad obcæcatos Papiſtas vt profectum è Babilone maturent.

QVi ſapis à longè peſtem qui cernere poſſis
In Domino vt lateas: de Babilone fuge.

Ebria nunc animas meretrix, & corpora poſcit,
Et fieri humano ſanguine ſacra cupit.
Olim corda ſatis, nunc corpora, nil ſatis ipſi:
Carnem iam meretrix devorat ecce ſuam.
Vtq; *ſatisfaciat carni, non æſtimat ipſam.*
Seq; ferox paſcit, quando aliundè nequit:
Impietate ſatur ſic ſe voret Antichriſtus:
Et iuſtè effuſo ſanguine *inſtus ovet.*

Ad eoſdem.

Meretrix honores ſpondet, aureos dies?
At (mortuo te) proderunt quid omnia?
Æterna nunquid præmia ad mortem dabit?
Prodere ſed illa cum docet, cęlo exuit.
Præſentis, orbat & futuri æui bonis.
Non ergò credas: ſi vel ad præſens benè
Vel de futuro tibi cupis, ſimul & tuis.
Fugito papiſmum. Junge te Chriſti gregi
Pręſentis, & futuræ en hîc vitæ bonâ.

Ad Deum Optimum Maximum ſulphuream proditionem confundentem carmen Votivum gratitudinis.

AT tu ſumme Deus nigris ſcelera acta cauernis,
Lumine vel terras perterebrante vides:
Inq; tuos medijs quanquàm patrata tenebris,
Duci; in apricum conſpicienda diem.
Hinc in nos fauces vbi penè tetenderat ignis,
Vreret & noſtras fax violenta domos:
Tu miris infanda modis inventa recludis,

Nec

Nec pateris tantum nocte latere ſcelus.
Quin rigeat noſtris infœlix lingua palatis,
Nec ſolitos edant guttura noſtra ſonos:
Ceſſemus ſi quandò tuam (*Pater alme*) ſalutem,
Et curam gratâ mente tenere tuam.

Errata ſic corrigantur.

¶ 4. lin. 17. ætas dat prior, Pag. 24. lin. 1. ne vnquam, p. 30. l. 31. Pij, p. 42. l. 1. hoc, ibid. l. 15. ipſis prævalimurum vanè, p. 84. l. 20. qui â, p. 95. l. 20. evadendi, p. 112. l. 18. excutiendo.

Alia ſunt leviora quæ ſenſu vel calamo facilè poſſis emendare.

NONÆ NOVEMBRIS ÆTERnitati Conſecratæ.

MAGNA ſunt Magnorum pericula. Sic Magnus diſponit Deus: Conditio ſublimis ſubiacet: Malitia Satanæ promouet. Diſponit Deus, ad potentiam vindicandã; dum hîc ſe maximis maiorẽ prædicat; *quod contemptum ſuper Principes effundit, & diſſolvit Regum vinculum*: Sic *Atheos* condemnat. Diſponit etiam ſingulari *prouidentia*: vt Magnates ſic humiliati; in ordine ipſi melius contineãtur, & mundus per ipſos. Nec non ſingularis Dei *Iuſtitia*, & *miſericordia* hîc clariſſimè relucent: dùm aut periculis admoniti redduntur inexcuſabiles terræ principes; aut iſtis pręparantur ad coronam immarceſſibilem.

Sect. 1. Regum ſtatus lubricus, & periculis obnoxius.

Iob. 12.

Sic conditio ſublimis magnis periculis ſubiacet, quia *invidiæ* exponitur; & dum *licentiam* vitæ celſitudo indulget; tot pericula creat; quot peccati exempla.

Adijciatur his malitia Satanæ: qui Deo proximiores eò magis inſectatur, quò Deum ipſum odit: & Principũ vitæ inſidiatur malitioſiùs; quòd *homicida ab initio*, & ſanguinis inſatiabilis, in vnius principis interitu totius

Iohn 8

Reipublicæ ſanguinem ſe hauſturum ſperat.

HVMILIAMINI ergo *Reges* ſub potenti manu Dei. Pericula prudentèr expectate, et fortitèr contemnite: Nolite confidere arundini fractæ: Protectioni divinæ nolite diffidere. *Dixi, Dij eſtis; ſed vt filij hominum moriemini.* An non ſub Deo eſtis, illo ſolo minores?

Pſal. 81.

Subditi, munite lubricas ſedes Principum *votis, levate pericula obſequio*; Nolite magna ſuperſtitioſé mirari; nolite ambitioſiùs appetere; cõtenti eſtote humili calâ, *Feriunt ſublimes fulmina turres.*

1. Tim. 2. 2.

Omnes agnoſcite vana omnia: & nihil durabile, aut beatum ſub ſole.

Et glorificetur ab omnibus Deus, qui *vindemiat ſpiritum Antecеſſorum, & terribilis eſt Regibus terræ.*

Pſal. 76.

Eccé *Davidem* a *caulis* ad Regnum: eundem intuemini à Regno ad *Eremum*. *Dicebam in Tranquillitate meâ, non dimouebor in ſeculum. Te abſcondente faciem tuam, fui conturbatus.*

Pſal. 30. 5.

Sed quiſnam hic queritur de tribulatione ſua? Certè dilectus Dei; Vir ſecundum cor eius; non Rex tantùm *David*, ſed Propheta Regius.

Sect. 2.

Piorum conditio afflictionibus ſubiecta.

PROSPERITAS ergo Piorum non exempta periculis. Nec mirum. Sunt enim *imperfecti*, ideóq; incõſtanti hâc fœlicitate ad metam promouendi; ſunt *hæredes cæli*, & terrenorum mutabilitate ablactandi fœliciter, adeoq; ad cęleſtia excitandi: ſunt *lapides offenſionis*; & lubricâ hâc conditione Impios obdurant, qui integritatem ab externa proſperitate ſtolidè metiũtur. Sic *prouidentia* ſplendet Dei in ratem tàm fluctuantem ſtabili curſu gubernando; ſic *Prudentia* elucet, dum voluntatem ſuam in fidelium ſalute hâc ratione perficit; ſic

Iuſ-

Iustitia apparet in impiorum offendiculo; sic exaltatur *gloria* in humiliatione omnium; sic *mundus* conturbatur, *Satan* in malitia confunditur, *impÿs* os obstruitur, *Pÿs* in laudem aperitur, & *Cælum* ipsum violentiam patitur.

NON igitur *metiamur* pietatem externâ prosperitate, nec *perfectionem* caro somniat afflictionibus subiecta. *Arcam* columba repetat, quæ requiem in terra non inuenit; Et qui dies in hâc vitâ transiget *immixtos malis*, illum sine nocte diem nunquam salutabit. Si iudicium incipiat à domo Dei, vbi apparebunt impij? Si prosperitas optimorum tam incerta; quæ illa pessimorum? Quid deliramus de hac vita? An non omnia pro *Christo stercora & faces? Surgite, et abite: quia non est hac requies, propter impuritatem perditura est.* 2. Pet. 4. Phil. 3. Mich. 2.

En Iustitia & pax, veritas, & misericordia se mutuò exosculantur, & glorificetur Deus in brachio suo. Ecce virum Dei, virum afflictionis. O quàm nulla prosperitas in hac vita stabilis!

SED vnde quæso tot Regibus mala? *Invidia* certè & *Ambitio* non ferunt superiorem. Sed quibus machinis oppugnant? Quod apertâ nequeunt *Rebellione*, occultâ *Proditione* moliuntur. *Sect. 3. Præcipuum Regibus periculum à proditione.*

PRODITIO igitur non minima Imperij labes. Hâc *Davides* sæpiùs, hâc ELISABETHA nostra, hâc noster IACOBVS sæpè petitus. Testis *Parreus, Abingtonus, Squirus, VVatsonus, &c.* Testis, qualem nec Antiquitas vidit, nec posteritas exemplũ datura simile, SVLPHVREA PRODITIO. Sic iustè vindictam sumit Deus de proditoribus gloriæ suæ; Sic prudenter *transponit* sceptra, innoxio sanguine conseruato. Sic potenter *eludit* carnalem

confidentiam; & oppressionem inobedientia meritò compensat; sic carnem carnis virgam facit, vt iustificetur dum iudicat; cum proditio nostra à nobis prodit.

FRVSTRA itaq; pollicentur sibi imperia securitatem, quæ à proditione nunquã sunt secura. Quàm vana est in carne fiducia, cum homo homini sit lupus insidians! *Cavete ab hominibus*, iterum dico cauete. Et si securi esse cupiatis à proditorum laqueis, *Timete Deum Reges*, homines non timete, Maleficos pœnis coercete. Præmijs afficite bonos; contemptum propulsate à sedibus; Adulationem à consilijs: Innocentiâ vitæ suspicionem remouete. Lenitate mollite & beneficentiâ non desperatos. Malitiam imperij maiestate contemnite: & temnendo superate.

Mat. 10.

Psal. 2. 10.

Mich. 7.

Inimici hominis sunt eius domestici:

Sect. 4. Impii audaces, & intrepidi in proditione.

SED vnde quęso hij spiritus proditoribus? Vnde tã immanis & barbara in aggrediendo audacia? Vnde tãta exequendi confidentia? Adeonè sine timore in Vnctum Dei manus inijcere? Adeonè in tanta malitia sperare impunitatem? Imò, inquit propheta Regius, *Repentè iaculis petunt eum, neq; timent*. Causas cupitis quare non timent? Expedit diuinus *Psaltes*, *Confirmãt sibi rem malam*: & se contra timorem obfirmant. Sed quibus tandem modis? Pergit *Davides* & modos aperit. *Conferunt inter se, & consilia vires q; communicant*, vt vis vnita fortiùs agat.

Psal. 64. 4.

vers. 5.

Sect 5. Proditores se consiliis & auxilijs in scelere confirmant.

PRODITORVM igitur se mutuis consilijs & auxilijs confirmare. Sic *Ahitophel Absoloni* consilia suggerit, populus subministrat auxilia: sic machinatoribus nostris consultores Iesuitæ; arma foris, domiq;

miq; non defuere. Nec mirum: *Carnalis* enim prudentia diuinæ limia; dum consilia consilijs, auxilia auxilijs opponit; vt quod secretâ proditione nequeat, apertâ rebellione perficiat. Hoc *timida* requirit proditio: vt contra internam conscientię reluctationem externis hisce præsidijs muniatur. Hoc etiam *stolida* proditio efficit, vt impietatis suæ pœnam luat: dum tot proditores efficit, quot proditionis habet conscios. Sic impietatem Satan ad maturitatem perducit: dum externis his incantationibus conscientiam fascinat, & insensat. Sic prudentia disponit Dei, ad eludendam carnalem prudentiam: Sic exultat Iustitia, dum iniquitatem à se confundit.

Observemvs itaq; naturam impietatis: quæ sibi conscia, securitatem dum aliundè petit, desperationem intùs prodit. Neq; prudentiam illius hîc imitemur, dum *Ahitophelis sapientia* ipsi in laqueum cedit. 2. Sam. 17. *Innocentiam* amplexemur, illiq; adhæreamus; quæ auxilium nobis abundè consiliumq; suppeditabit: & vt omnia nobis aduersa fuerint, ipsa tamen nobis instar erit omnium bona conscientia, & plures erunt nobiscum, quàm qui contra nos. Non contemnamus interim externa media, licet his abutantur impij: sed sanctificemus potius; vt *Aaronis serpens Ægyptiorum serpentes* deuoret: non inflati istis, cùm impijs sint communia: nec Gigantum more adhibentes contra Deũ: nec ob eorum defectum turpitèr exanimati: sed humilitèr his inservientes Ecclesiæ Christi, successu eorum Deo commendato. *Sic* continebimur prudentèr intra diuinæ prouidentiæ limites, & industriæ nostræ fœlicem exitum consequemur, cum aranearum tela con-

friinguntur, nos consistemus: & glorificabitur Deus; dū carnalis prudentia illius sapientiæ ancillatur.

Sed quæ præcipuè vincula, quibus impij sic inter sese fortitèr combinantur? Ea obseruaui *duplicia*: idq; secundùm duplicem illam actionum omnium metam. *Imaginariam* huius, aut *Certam* futuræ vitæ *beatitudinem*.

Quænam præsentis vitę fœlicitatem consummant? FŒDVS, DIVITIÆ, HONOS. Istis se mundus fœlicem adulatur: istis se confirmant in impietate proditores.

Sect. 6. *Fœderibus se proditores in scelere cōfirmãt* *Psal. 2. 1. 2.* *Psa. 83.*

FOEDERIBVS ergò *proditio* non parum confirmatur. Sic *combinantur Reges terræ contra Deum & Vnctum eius*: Sic *Tabernacula Edomitarum conspirant cum Ismaëlitis*; *Moabitæ cum Ammonitis, Philistæis*, *reliquisq; Canaanitis* associantur, dicentes: *Agite, excindamus istos, ne sint gens, vt non memoretur nomen Israëlis amplius*: Sic pridèm inierunt *Fœdus* cultores *Bestiæ*: vt sponsā Christi è vivis tollerent. Sic sulphurei isti dæmones, se foris domiq; pernicioſè combinarant; vt geminos illos, *Ecclesiam*, & *Rempub*: funditùs pessundarent: dum istorum præsentem *Vitā*, & *Futuram spem*, REGEM, eiusq; *gratiosissimam coniugem*, & *beatam sobolem*, adeoq; ipsius *Regni Lumina*, *Humeros*, *brachia*, *ventrem*, imò & *Cadaver ipsum*, vno sulphureæ Massæ ictu internecioni deuouerant. Inauditum facinus, & audaciâ plenum, quod vnius vires superat; ideoq;, plurium humeris sustentandum; vt, vel succedat meliùs, quo multorum consilijs auspicatum: aut infectum leviùs opprimat: dùm multitudo conspirantium aut *impunitatem* præsumit, aut terrorem Sta-

Fœdus Gallicū. *2584.*

tui

tui incutiendo *Iustitiam* saltèm frenat. Sic multitudinẽ iactat *Bishoppus*; *Parsonus* terret. *In Epistola ad Regem. in Wardword.*

Sic cruciatur *Satan* opimo spolio: sic glorificatur Deus, dum peccatum hâc ratione maturando, ad falcẽ pręparat.

FRATRES itaq; simus: sed non *Fratres in malo. Maledicta ira eorum, quia vehemens, et furor eorum, quia sævus fuerat. In arcanum eorum ne ingreditor anima mea; in cœtum eorum ne adunator gloria mea.* Coalescamus in Domino, sic erit fœdus pacis. Pro Domino concertemus; sic restat corona glorię. Perfidiosum fœdus, quod religio nõ pãgit. Maledicta vnio quæ *Vnitatẽ excludit.* Ecce *Simeonem Iuda* prouocat; *Ascende mecum in sortem meam, vt pugnemus contra Cananæum istum, vicissim ibo ego tecum in sortem tuam*: Sic dicit spiritus, *Iuit g, cũ eo Simeon.* Sic oportet *Fratres* vires cõiũgere: *Fratres* dico, contrâ communem hostem: sic benedicet Spiritus. Sic Christiani Principes contra Antichristum conspirabunt. Festina opus ô Deus in medio nostri. En Lupi, licet inter se dissentiant, vnanimes tamen cõspirabunt ad oues deuorandas: ô sic sepositis dissidijs oues conueniant; vt communem hostem Lupum iam tandem supprimant. Genes. 49. Iudg. 1. 3. Reuel. 19.

Sed quęnam sunt istiusmodi coniurationum vincula? DIVITIAE, & HONORES. *Illæ* præsenti corrumpunt largitione: *hÿ* spe futurâ constringunt.

MVNERA igitùr proditorum faces, & fomenta. His *Balaam* sollicitatur ad maledicendum populo Dei. Hæc *Iudam* provocarunt ad prodendum *Filium Dei*. His fascinatur *Lopas*, vt *Elizabetham* nostrã tolleret. Sic Aurum transmarinum Anglos transformauit mul- *Sect. 7. Muneribus proditores ad Impietatẽ sollicitantur.* Num. 23. Mat. 26.

multos in Italicos dæmones. Nec mirum. Quid enim
Deut. 16. 19. auri sacra fames mortalia non cogit pectora? *Hâc excæcantur oculi sapientum*: Hæc Invidiæ, & Ambitioni arma subministrant. Hæc aut Impunitatem pollicentur; aut supplicij metum leuant; & sic in desperatissima facinora non invitos protrudunt. Sic Impijs *portionem* distribuit Deus, vt iustitiam suam contra illos magnificet.
2. Psal. 14. 17.

Contenti itaq; simus conditione nostrâ: sic munerum corruptelam fœliciter evitabimus. *Cæsari*, quę sunt eius, libenter concedamus: sic nullis contra *Cæsarem* largitionibus prouocabimur. Quod si in generatione sua Impij sint ita prodigi, vt nullo parcant sumptui ad impietatem perficiendam: ne coarctentur manus nostræ ad faciendum bonum: Pro *Aris*, & *Focis*, *Rege*, & *Grege*, fontes hilariter effluant. O, salutem animarum nullo pretio postponamus aut labore. Cum
Mat. 23. Iebusitæ isti *mare & terram circumeant*, *vt proselytas faciant duplo magis Gehennæ filios quam fuerint antea*: Cum Incendiarijs istis sic vilescit fructus corporis, vt animas populi Dei Saranæ lucrentur: cum confusionem ipsi suam pro nihilo habent; vt cœlum terræ misceant, & omnia in antiquum Chaos redigant: Certè
Iacob 5. 2. ni fecerimus: Ecce *ærugo divitiarum testabitur contra nos*, *& exedet Carnes nostras sicut ignis*. En *Triginta*
Mar. 26. *nummi* nos tandem condemnabunt: Et *aureæ Israelitarum*,
Exod. 32. quas libenter auribus detraxerunt ad vitulum faciendum, In die Judicij auaritiam nostram, & sacrilegium convincent. Sic proditionem dona in præsenti nutriunt. At alas comparant diuitiæ, & vt aquila,
Proverb. 23. cœlũ versùs aduolant: & sine ligno focus extinguetur.

Quid

Quid ergo supplet?

HONORIS spes, & æterni Nominis. Hâc *primævos Parentes* Satan infatuat. Hæc *Turris Babilonicæ* fundamenta iecit. Hâc proditores nostri magnoperè sunt inflati: dum Regnorum ad minimum inter se diuisionem inanitèr somniabāt. Neq; sanè hoc frustrà: Frenū enim impietati relaxat honoris aucupiū; & quò maiora homines concipiunt, eò magìs cōtendunt scelere. Nec novit ámbitio se regere, nec regi patitur. Sic Fouea Impij Elatus animus; quū vt spes honoris sit ministra sceleris, Ità sceleris cōsūmatio honoris Laqueus. *Sect 8.* *Honoris spes proditionis fomes.* Gen.3. Gen.11.

Excelsa igitùr ambitiosé non petamus; ne cum honesta desint, ad illicita media compellamur. *Metuamus* potius honores, qui tanto constant pretio; & animosè contemnamus, qui scelere comparantur. *Veros* honores obsequio quæramus, cùm non in honorato sed in honorante sit honoris ius: *Et cùm* nec cuiuis pateat ad terrena fastigia aditus, *nec* quibus patet *fastidio melius, & vexatione spiritus, reponit*, aspiremus potius cœlestia, quæ laborem abundè compensabunt. Hæc, vt cuiuis patent, qui seipsum non excludit, ita nec parari proditione, nec auferri â nobis possunt. Eccl.2.

At Cælvm eccè promittitur Patriæ Proditoribus. Hoc *conscientiæ* vinculum; hinc securitas in malo: Et certé frustrà obtenderētur externo homini quęvis speciosa mundi; nisi vmbrâ saltem cæli caperentur, qui conscientiæ prętextu actiones suas iustificant. Promittitur ergo cælum his terræ filijs: sed a quo tandē? Certè vt *Christo* promisit Satan *Dominia terræ*, quæ eius non erant dare, quò *cultum* ipsi pręstaret, quem non erat recipiendo: Ita *Abaddon Satanæ* Filius, alijs cælum *Sect.9.* *Etiam vel inanicæli spe miseri lactantur.* Math.4.

lum promittit, quo ipse excluditur: modò Principes terræ proditorie subuertant; & Imperia mundi susq; deq; exagitent.

Eph. 2. 2. Cor. 4. Et certè quùm *Princeps aeris regnet in cordibus Infidelium, eorumq; mentes excæcet penitùs*: quòd *veritati non obsequentes, efficacitate deceptionis infatuantur*: non mirũ quin *iudicio corrupto*, peruertatur etiam *Synteresis*, vt *lucem tenebras, & tenebras lucem nũcupet*, & minùs certè mirum, synteresi deprauatâ, *in reprobum tradi sensum, vt auidè perpetrentur illa, quæ minimè conueniebãt*; & tamen (quæ est delusionis efficacia) vel flagitiosissimis actionibus conscientiã ita applaudere, ac si Deo cultus vel gratissimus perficeretur. Sic de *Corporis* interitu prædixit caput Christus; quod *qui ipsum trucidabit, putabit se cultum præstare Deo.*

2. Thess. 2. 11. Esa 5. Rom. 1. Ioh. 16. 2.

Sic de Principum excidio pronuntiat Antichristus; Quod quisquis hunc sacrũ sanguinem effuderit, nõ modo sanguinem suum hoc Pio facinore sanctificabit; sed et præcipuum inter cælites locum merebitur, & gloria supercæleſti præ alijs coronabitur. Et, vt nihil desit, quò ad tam immane facinus animentur subditi: Audite quæso bestiam euomentem blasphemias, & verum *Antichristum* sedulò intuemini.

Sixtus Quintus in Panyger. de morte Hen. 3.

Sect. 10. QVID enim? Num præcipit Deus obedientiam Regi præstandam, idq; non bono tantùm, sed etiam vel malo, idq; non propter metum sed conscientiam? Ecce Pontificia Bvlla subditos obsequio soluit: et sub Anathematis pœnâ omnes ad tollendos Principes sceleratissimé accendit: Numquid non adsunt vires, vbi prona est voluntas? *Simula* ergo *professionem*: dispensat meretrix: *obedientiam* præsta *vsq; quo*: *Antichristus* tolerat.

Viua Antichri. Imago in se supra Deum efferendo. Et prodi tionem tum iustificando tum promouẽdo per.

1 Bullas.

2. Anathemata

Num

Num laqueus paratus, & quis ad mactationem destinata? & Ocvlatior hic quis, fraudisq; suspicax? O quàm blandè osculatur meretrix; quæ *non obtendit sacrificia* quæ pacis xenia; quæ amoris pignora profert? Sic oculo Iudas Dominum suum prodit, sic obedientiæ paciſq; prętextu lupi glaucomam obducunt, vt tanquam *boues trahant ad mactationem, et veluti compeditos ad eruditionem stultorum.* Svetimidior quis, & in facinore non confirmatus? En triplex funiculus qui non citò rũpitur. Ivramento astringetur sacro, vt sacrum Imperiũ violet. Sic *olim Anathemate* se Iudæi *deuouerunt*, quod non essent esuri, donec interfeciſſent Paulum. Sic *Iuramento* se nuper deuinxerunt nostri, vt proditionem inceptam cęlarent, & prosequerentur. Addentur Vota & *Cælus reponentur*; His Parreus astringitur ad tollendam Elisabethã Principem. Et quod horreo meminisse: Tremendum illud *Mysterium corporis Dominici, & pretiosi sanguinis* in stipulationem adhibebitur, quò innocentis sanguinis effusio sceleratissimé promoueatur. Hic *Satanæ* Dolus, quo conscientiam deludat, hæc potentia *Antichristi* vt Proditores perdat. Sic *Parreus*, *Squirus*, & sic *sulphurei proditores* obligati.

3. *Tolerationẽ obedientiæ donec vires suppetant*
4. *Insidiã pacẽ.* Prou. 7. Math. 27.
Prov 7.
5. *Iuramentum* Act. 23.
6. *Vota.* Parreus epist. ad Cardi. de Como.
7. Sacramentũ.

Qvisqvis verè sapit ista ad cor applicet: & cui brachium Domini has technas revelabit. *Actionum* Judicem vt conscientiam faciamus: Ita conscientiam rectè informari laboremus, vt rectum de actionibus Judicium ferat. *Ignorantia* igitur exulet, quæ conscientiam obtenebrat, & quæ ipsam fouet, religionem detestemur, non vt matrem devotionis, sed impietatis Lenonem. Ignorantiæ filiam *errorem* profligemus, quę *synterisin* obcęcat & in dæuia cogit, & vtriusq; fru-

ctum *vitæ licentiam* deuitemus: quæ callum obducit
Ephe.4.19. conſcientię ipſamq; ἀπηλγηκυῖαν reddit. Certè vt *ſacræ*
2.Tim.3. *litteræ* hominem perficiunt; ita his præcipuè dirigenda
conſcientia; Et cum *integritas vitæ* Judicij præſeruat
rectitudinem, iſtius ſinceritatis cõſcientiam faciamus,
Col.3.15. ne deluſionum efficacię iuſtò tradamur. *Copioſè nobiſcum habitet verbum Dei*; vt luminis beneficio actiones
diſcernamus: & dum *lumen habemus; ambulemus in ipſo: vt filij lucis à Patre luminum* habeamur. *Operatores*
Ioh.12. *mali Iudicemus qui lumen odêrunt*, & religionem non
Ioh.3. bonam, quæ lumen non ſuſtinet. Jgnorantiæ fructum
Rebellionem agnoſcamus: & ſanæ Conſcientiæ *obedientiam* filiam. Diſcernamus *Satanam* licet *vt Angelum lucis apparentem*;
2.Cor.11. & conſcientiam diſcutiamus, quæ ignorando errat, et errando ſe & alios decipit. *Papiſmum* agnoſcamus, quæ ignorantiâ fundatur; eiuſq; *germanam ſobolem*, Proditionem meritò deteſtemur. *Sanctitatem* colamus, *ſine quâ nemo Deum videbit*; ſed ſcelere non adeptam, vt cœlum mereatur. Deniq; Antichriſti Jugum excutiamus penitùs, vt *Conſcientiæ pacem*, Jmperijs ſecuritatem, animis ſalutem conſequamur.

At detegetur facinus, & laterem lauabimus. Proditio loquax eſt, & rimarum plena: tacere neſcit; præſertim vbi plures conſcij, Quid hîc agendum? Expedit *Prophetæ*:

Narrant de abſcondendis laqueis,
Et dicunt, quis videret illos?

Eſa.29. Profunda verſant conſilia proditores, & Cuniculos fodiunt: vt machinentur tutiùs, & non opinantes opprimant. *Inſidiantur in latibulo, ſicùt Leo in Tugurio ſuo,*

&

& delitescũt callidè. Et existente in tenebris opere suo dicunt, quis videt nos?

PRODITORVM igitur occultare laqueos, et secretis artibus innocentes obruere. Sic *Christum vagientem* sub cultus specie aggreditur Herodes: sic ipsi adultiori sæpiùs *Iudæi* insidiantur: sic *Ieiunij* pallio scelus occultat *Iezabel*; et Iustitiæ simulatione *Nabothi vineam & vitam eripit*. Sic *Regẽ Israëlis* Inimici eius impetierũt. Sic *Magno Magnæ Britanniæ Imperatori* eiusq; *dulcissimæ Cõiugi* & *soboli beatæ*: nec non, & ipsius Imperij *Humeris, oculis, Pedibus*, omnibus fornicem igneam arte tam occultâ, & veteratoriâ prępararant *Iudaitæ*, vt de ipsius successu ipsi prædicare non dubitarent. *Horrendam sentient plagam: sed percussorem non intelligent.*

Sect. II

Proditorum est occultare laqueos, & in tenebris operari.

Math. 2.

1. Reg. 19.

Psal. 56. 35.

Litteræ ad Dominum Montis. aquilini.

ET sanè an cuiquam mirum videri debeat, vt quæ tenebris gaudeat Religio, opera tenebrarum proferat? Annon hoc cupit Jmpietas, vt *ignominiam devitet, & torturam*? Annon hæc præcipuè Satanæ fraus, vt *impietas hac ratione ad maturitatem perducatur*; Et inopinato Judicio sic obruantur Jmpij; dum in alto silentio securitatem sibi pollicentur? Numquid taciturnitate *proditio* non maximè indiget, cum *Pupillam oculi Dei* tam audactèr impugnet? Nonnè Papismo incumbit scelera sua *cautè*, & *occultè* moliri; vt incautos *faciliùs decipiat* sanctitatis laruâ; & *securiùs glorietur* in abstrusâ nequitiâ; dùm Jnimici eius, occultis his artibus sublati, tùm *mendacibus Antichristi miraculis* fidẽ faciunt, tùm ipsius *potentiam magìs tremendam* exhibent? Quid hìc memorem vobis meretricis *ambitionem*? Regina esse vult cœli, & terræ; At *moram* non patitur Ambitio; *aperta potentia* non suppetit. Procedẽ-

dum itaq; fraude, vbi Mars in dubio est, & occultè peragendũ, quod apertis viribus non patet. His sese artibus breui euexit meretrix, his amatores suos inębriavit. Inimicos obruit. Sic est Papismus *Iniquitatis Mysterium*. Sic *occultis* pugnat *armis*, vt securiùs opprimat; Sic Proditionis *exitum* occultat, vt *Infamiam* simul & *supplicium devitet*. Sic sunt *instrumenta* Militiæ Antichristi.

2. Thess. 2.

Sect. 12

Bestiæ eiusq; militiæ sex instrumẽta, et omnia occulta.

EA obseruaui esse sex: DECRETA, AVRICVLAREM CONFESSIONEM, INQVISITIONEM, VENENVM, SVLPHVR, VENEFICIVM. Omnia mortifera, occulta omnia.

1. Decreta.

DECRETA, quomodo hic occultus laqueus? Scilicet palliantur legibus Nationum; & ipsorũ *exequutio* Ciuili Magistratui deferetur; Idq; vt Nationes terræ suo gladio iugulent: Vt si crudelitatis rationem cogantur reddere: sic *occultando laqueos* seipsos expediant: Non hoc *Caiphas* fecit, *sed Pilatus*: Non sic *Papa*, sed *Princeps* voluit. Sic agnos ad lanienam protrudit lupus; sed canibus versutè mactandos exponit, vt invidiam canes ferant, ipse prædam. *Decreta* igitur occultus Laqueus. Annon sic

2. Inquisitio.

INQVISITIO? Nihil certè abstrusius. Ad Carcerem rapiemur, ibiq; fortassis in foueam cum *Ieremiâ* coniecti, in luto hęrebimus: & *fame*, aut *torturâ* indemnes conficiemur; si peragamur Rei; vel adigemur *Iuramento* ad nos ipsos accusandos, vel criminis insimulabimur *accusatore cælato*: cruciatus patiemur; sed *tortorem* non videbimus, & incognitâ causâ ad supplicium rapiemur. Si quis apparet contra nos Accusator: procurabitur malitiosè è nostrâ domo, aut timidior aliquis, cruciatus metu compulsus, aut desperatus Apostata muneribus

cor,

corruptus: vt sic nobis dolor maior, ipsis invidia minor accrescat: ipsi liberentur imputatione crudelitatis, ab-vsu professionis nos magis oneremur. Sic inquisitio occultus laqueus.

An non similitèr AVRICVLARIS CONFESSIO? Vèl maxima certè fax scelerũ, et occulta ministra proditionis. Secreta audit, vt secreta prodat; secretò adit, vt corpus, et animam securè deprędetur. Libidini quid obijcit? Hâc cautè potiemur. Oppugnat quis Papatum? Hâc ratione tolletur. Potentiâ quis suspectus? Hâc arte enervabitur. Diuitijs abundat? Hâc fraude exhaurietur. Sic expugnat Cõfessio, quod Castra non valeant: & securè gloriatur; quod in tenebris obambulat. 3. *Auricularis confessio.*

Quid VENENVM? *Pontificia* certè Machina, & tenebris gaudens. Sic *mixtura* docet, sic probat *operatio*. *Mixtura* qualis? Dulce gustu, exitu læthale. Sed numquid subitò? Imò, nè proditorem *detegat*; aut simul *tollat*. Infans in arte suâ *Swinstedi Monachus*, qui venenum ita potare non nouit inimico; vt seipsum seruet licet alium perdat. Ætas posterior, vt scelus auxit, ita artem perfecit: Quô modo? Scilicet non exeret vires subitò virus, sed in tempus differet; languorem forsan inducet statim, sed mortem vel in annum, aut vlteriùs protrahet: Nempè, vt quamuis ipsi sumamus partem: malitiosam tamèn operationem Antidoto pręueniamus, & aut suspicionem prodendi vitemus; aut supplicij periculum. Ferax his *ficubus* Italia, & ad portentum insolens; vt nè Dijs quidem suis hoc malo pepercerit. Testis *Panaceus Deus* veneno infectus; qui Imperatorem in terris Deum vel adorantem sustulit. O Impotentem Deum, qui veneni malitiam corrigere non 4. *Venenum.* *Holinshead in vita Ioan. Regis.* *Platina.*

non potuit. O nimium crudelem & ingratum, qui cultores ſuos morte remunerat! O proditoriam religionem; cuius cultus laqueus! O ſanguiſugas Papiſtas, qui ne in *ſacris* parcent! O iuſtum ſuper omnia, & glorificandum Deum, qui idololatriam ſibimet ipſi pœnã facit; & ſtatuit Artificem necis Arte perire ſua! Sic Alexander ſextus hoc correptus laqueo, quem alijs pararat.

Hos profert fructus Sodomitica Italia: ſurculi harum Arborum ad nos tranſlati, nõ malè germinarunt. *Teſtis Lopas*, & eius cruenta ſpolia. Teſtis *Squirrus*, *VValpoldus*, & alij. Teſtis *Eliſabetha* ſæpiùs hoc laqueo erepta.

5. *Veneficium.* Nec minus VENEFICIO. Hoc etiam meretricis telũ. Hoc inſtructum Caput, *Silueſter Hildebrandus*, *Iohannes* plurimi, *Papæ* omnes, omnes necromantici: Hoc armata membra. *Monachi*, *fratres*, *ſeminarij Iebuſitæ*. Quis vſus? Exorciſantur infantes: adulti terrentur; fictis miraculis fides, Religioni ſpuriæ ſubdititius honos accedit: amici infatuantur: inimici confunduntur: Et (quæ eſt ſtupenda Dei Iuſtitia) proprio telo Antichriſtus confoditur.

6. *Pulvis ſulphureus.* Accedamus ad SVLPHVR. Peculiaris hęc Papiſmi machina: Ipſi *Originem* debet, ipſi *vſum*. Læthalis hic, & occultus laqueus. Exẽpla non opus foras: domi habitemus; Hõc IACOBVS noſter, etiam in lumbis Parẽtum olim petitus. Hoc nuper, (quod fidem ſuperat) *Florentiſſimum* totius *Europæ Regnum*, eiuſq; omnem ſpem, *Caput* ipſum Regni, *Olivã*, *eiuſq; Succum*, & *Palmites*, *Regni conſiliarios*, *Dynaſtas*, *Præſules*, *Iudices*, *Equites*, deniq; omnium ordinum *medullam*, & *gloriam*, omnes hos

hos inquã vno sulphureæ massę ictu subitò se deuoraturos sperabant Pontificij. Horrendum nefas, & priori æuo incognitum: & in hoc præcipuè obseruandum; quod tam maturo susceptũ consilio, taciturnitate tam obstinatâ profectum, & perfectum ferè, à *Custode Israelis* vigilantissimo perspectum fuerit & clementissimè dissipatum. *Susceptum* occultatur *Iuramento* & *sacramento*. His coniuratores in impietate obfirmantur; his constringuntur ne facinus divulgent.

PROGRESSVM si consideremus. Certè TEMPVS LOCVS, MODVS, omnia occulta, secura omnia. *Sect.* 13. *In proditionis præsentis machinatione omnia occulta.*

TEMPVS *noctis*, tenebrarum operibus aptum, silentij amicum. Sic *nocte, dum homines dormiebant, exiuit Inimicus homo, & superseminavit zizania*: sic proditores isti nocte fodiebant, & securo statui foueam parabant. 1. *Tempus.* Math. 13.

LOCVS quis electus? Certè *Cuneus subterraneus*: Iste cum non arrisit: *Fornix insuetus*, & ferè inaccessus: hîc altè fodiunt, hîc ingentem sulphuris massam locant. 2. *Locus.*

Sed quo modo? Occultè admodùm et nè prodatur, cautissimè. *Excubiæ* foris aguntur continuæ, dùm in cuneo sudetur: *commeatus* sufficiens præparatur, vt in fodina se contineant, ne frequentior ingressus, et egressus pro viatico suspicionem moueat. *Domus* propè locum cõducitur, vt securiùs conveniant. *Cernisiæ assuetis cadis*, pulvis imponitur, & cadi terræ inclusi, plurima lignorũ *strues* penitùs obteguntur: sic *Cuneus, Fornix, Domus, Excubiæ, Nox, Cadi, Strues*, omnia hec occultum spondent scelus, & securitate blandiuntur. Hinc insolentèr iactitant Iebusitæ, adeò *tectum esse scelus, vt omninò detegi nequeat*. Hinc impudentèr pronũtiant in litteris ad Heroëm, *nullam esse tumultus, aut periculi ap-* 3. *Modus hic considera.* 1. *Excubiæ.* 2. *Commeatus.* 3. *Domus conductam.* 4. *Cados.* 5. *Struẽ. lignã.* Garnet. & Hal

Litteræ ad Dominum Mounteagle.

parentiam. Hinc intrepidè, nequitiam accelerant; & ipsius *exitum* avidè expectant.

Sect. 14.

Proditores exitum laqueorũ etiam occultare cupiebant idq.

EXITVS eiusmodi laqueorum duplex esse solet; Aut, auibus captis gaudent aucupes: aut laqueis disruptis, aves liberantur; & in foveam quam foderunt, impij cadunt. Ecce, vtrinq; paratum pallium: vt *factũ*, vel *infectum* facinus *occultetur*. Illud si contigisset (quod potentissimè avertit misericors Deus) Né tã inhumana, et cruenta spolia ipsis forent infamia; hic etiam *laqueum triplicitèr occultandum* censüerunt. *Negando se primúm* authores esse facti, & ipsius acerrimos se vindices prætendendo: *secundò Puritanos* (quos vocant) tanti facinoris incusando; hincq; arripiendi occasionem sub illius agnominis odio, puriorem religionẽ funditùs e regno eradicandi: Tertiò præ se ferendo relevare Regni gravamina, & illius statum in melius reformare. Hinc decretum, *Elisabetham* Principem e Regis natabus maiorem natu superstitem prehendere, ipsamq; pro tempore in Regnum sufficere, vt illius authoritate omnia ad libidinem confundant. Hinc Proclamationes paratæ, quæ Impietatem palliant. Hinc Laruæ in promptu, vestesq; exoticæ, quæ sanguisugas istas & in scelere obdurent, et ipsius notam facilé repellant.

1. negando fuisse ipsorum factum.

2. regerendo in Puritanos.

3. Prętendẽdo Regni gravamina.

Ista fuere proditorum somnia; sic *ventum seminabant*, & *metebant turbinem*. Siquidém *qui sedet in cælis, ridet, Dominus subsannabat eos*. Laqueus tàm studiosé occultatus, eccé est detectus; et in iniquitate suà deprehensi impij.

Os. 8
Psal. 2.

At perfrictæ frontis sunt, erubescere nesciunt. Cælare adhuc cupiunt, quod ipsi sponte sunt confessi; et spe-

speciosis nominibus tám immane scelus palliant. Quibus tandem illis? *Religione, Conscientiâ, Necessitate.* Sic Rebellionem religioni affingere, cædes conscientiâ defendere, Libidinem necessitate obtegere: hoc veré Pontificium.

Iste si non secundet ventus: En flatus contrarius. Non Religionis conscientia, sed desperata conditio, quosdam obæratos sicarios, non generosos Papistas, ad extrema tentanda compulit, vt in aquâ turbatâ prędam captent. Sic ex eodem ore calidum, et frigidum.

Ista si iustitiam vox non fascinet, quin Iesuitam adhuc subodoretur, & colluuiem non ignobilē: Obseruate quæso impietatis ἄκρον, & meretricis Cauterium intùs, & in cute dignoscite. Scelere detecto latent adhuc actores? En concilium meretricis, ne amatores deprehendantur.

Negate impudentèr; & tutò peierate, vel mea dispensabit *plenaria potentia*, aut vestra per *Æquivocationem* decepta, eludet conscientia. Mutate *nomina, habitum, vultum, religionem* simulate, & vt potis est *sexum*, vel *Deum ipsum* perfidè negate. Omnia eant, potiùs quam vitam pericliteris. En fructum obcęcationis: En futurę beatitudinis desperationem. *Prehensi* aliqui, & ad supplicium rapiendi? Quis hîc non mouetur lapis, ut iustitia flectatur? *Munera* ut corrūpant: *Minæ* ut terreant. Sic Judicari non vult proditio in hac vita, ut in futura Judicetur: sic in *initio*, & *exitu* cœlari cupit.

In libro æquivocationē Iustificante, quem Mortonus doctè refutavit.

Minæ contra Comitem Salisburiensem.

AGNOSCAMVS igitur scelus, quod lumen refugit, & sceleratam religionem quæ tenebris gaudet. Vt aqua profundior quæ currit leniùs; ita malum pericu-

losius, quod silentio transigitur; sic malitia intùs æstuans cædem molitur, dùm subitò erumpens furor suâ spumâ extinguitur.

Securi itaq; ne simus cùm Impietas silet, nec animos abijciamus, quod facinus latet. Ecce, ut dormientibus hominibus inuigilat Satan: ità vigilantibus impijs, Deus non dormitat. *Illius palpebræ explorant filios hominum. Ille intuetur malitiam, & indignationem.* Et si *Abrahamum non latebit*, quod cõcernit bonum *fratris*; annon secretum ipsius cum Justo, ut periculum discernat? Certè qui *Ahasuero somnum* abstulit, ut Mardochei vitæ consulatur, is Regi nostro contrà naturam suam prudentem suspicionem iniecit vt suum & totius regni periculum fœliciſſimé auerteret, dùm ex stilo acuto rem seriam agi colligeret, & ex verborum stultitia, mali profundum expiscaretur.

Pſal. 10. Geneſ. 18. Pſal. 25. 14. Heſt. 6. 1.

Conquiescat igitur in Domino anima nostra, ipsiq; *silentium* seruet in promissionem fide: sic occultas inimicorum fraudes nobis deteget.

Pſal. 62.

Dum castigat Deus, obmutescamus penitùs, & os nostrum non aperiamus: sic *virga improbitatis non quiescet super sortem iustorum.*

Pſal. 39. Pſal 125.

Tenebras detestemur, quæ iniquitatem palliant; & *ambulemus in luce*, ut peccati occasiones deuitemus.

Ioh. 12.

Vt secreti peccati periculum non dat licentiam aperto sceleri: Jtà cupiamus detegi in hâc vitâ impietatem, né posthac in magno Judicio ad condemnationẽ nostram aperiatur.

Si secretò quid peragemus; quô diuulgato non confundamur. *Spiritu colamus Deum*, qui *veritatem amat in præcordijs* & *occultum cordis hominem* præcipuè ador-

Ioh. 4. Pſ. 51. 5. 1. Pet. 3. 4.

dornemus. Sic interna simplicitas Deo approbabitur, quæ homines latet; & ex abundantiâ cordis sic fulgebit vita; ut glorificetur Deus, homines conuertantur.

Deniq; impietatis latebris nolimus confidere, ne fiduciam in Deo prorsùs exuamus: & quùm gloriæ suæ vindex sit iustus Deus, propter infidelitatem nostram aperto nos tradat Atheismo; vt non corde tantùm sentiamus non esse Deum, sed ore etiam blasphemé pronuntiamus,

Quis videt nos? sic enim sequitur

Et dicunt. Quis videt nos?

.i. (vt *Esaias* exponit) *Abdunt in profundum à Iehovâ consilium, & existente in tenebris opere suo, dicunt; quis videt nos?* .i. Ezechiele planiùs declarante) *Dicunt, Dominus non videt, Dominus dereliquit terram*: Acsi a. perté pronuntiarent blasphema ora. *Non est Deus.* Esa. 29. Ezec. 8. 12.

SIC Horrendæ impietatis radix *Atheismus cordis*, & secretæ Iniquitatis fructus Atheismus oris. Hoc fundabatur oppressio *Pharaonis. Quis est Dominus, vt auscultarem voci eius, & dimitterem Israëlem?* Hôca. nimantur in persequutione Impij. Non solùm cogitant *semper quòd non est Deus*, sed insuper, etiam contemnunt Deum; & dicunt. *Ecce, oblitus est Dominus fortis, abscondit faciem suam, non respicit vnquam. Sic dictũ defectionis ad impium, coràm oculis eius non esse panorẽ Dei.* Sic *VVatsonianæ* Proditionis Caput Atheismus. Sic Proditionem docet & approbat Romana schola, quæ reuerâ non aliam quam Multiplicis Atheismi doctrinam exhibet. Etenim pietatis virtutem non solùm negat, dum *meritum* in cultu, & cultus meritum in *Corporali exercitio* collocat: sed & euertit etiam, aut

Sect. 15 *Proditionis ratio dix Atheismus* Exod. 5. 2. Psal. 10. 4. Psal. 36. 2. An. 1603. 1. *Iacobi.*

ſaltem deprauat naturam *Pietatis*, dū *Eſſentiam* eiuſq; proprietates aut negat, aut extenuat. Sic de religione ſua gloriantur Pontificij, quod *ſenſui & rationi vel maximè conveniat*: Sic etiam ipſam exercent, vt nec noſſe eos Deum, nec curare appareat. Hinc *ignorantiã* ſtatuunt deuotionis matrem, & ſacrę cognitionis fontes deſperatè obſtruunt. Hinc doctores mendaciorum populo exhibent *Imagines*; & ſcripturarum fontes traditionum cæno inficiunt: ſic licitum docent *fornicari*, quod Deus prohibet, & *matrimonium* illicitum, quod Deus iubet. Hinc *parentes deſerere* ſtatuunt meritorium, & *Reges Occidere* vel ſupra meritum extollunt. Omnia hęc, vt Deum verum ſuo ſolio deturbent & *ſupra omne quod vocatur Deus* Antichriſtum euehant.

In ſupplicat. ad Regem.

Rom. 1. 23. Et certe ut Gentes ex Creaturarum libro Deum edocti; Quod ipſum ut Deum non ritè coluerunt, in concupiſcentias immundas ideò iuſtè ſunt traditi: Ita non mirum Romanam meretricem ſic auidè ſcortari, & *carnalem fornicationem* tàm impudentèr defendere; cum poſt alienos Deos imprudentiſſimè eat; & *ſpiritualitèr ſcortetur* cum ligno, & lapide. Et ſanè cum amor hominis ab amore Dei dependeat: An cuiuis novum videri debeat Papiſtas ſic in *proditionem* erumpere, & cõtra Dei Vnctum manus attollere, cum vel Deum ipſum tàm perditè violent? Imò habeat hæc ſibi propria Romana religio', Ipſiſq; Poſteritati perpetuò innoteſcat. Quod Devm Comedit, & Regem Occidit. Adeò iuſtum eſt apud Deum peccatum peccato detegere, & punire. Vt ſicut *Idololatria Proditionem* gignit; Ità Proditio Idololatriæ vindex euadat, dum in ſuo periculo prudentèr diſcernunt Principes Maieſtatem Dei

Dei læsam, & securitatem suam in divinæ gloriæ vindictâ recuperant. Sic in Papistâ Proditorem, in Iesuitâ Judam facillimum deprehendere. Sic Jdololatria proditionis fomes, & proditio Jdololatriæ funus. O stolidam proditionem! O Prudentem Deum! O religionem ἀθεοὶ! Sic vota facessant.

Quotusquisq; sapiens est, qui obseruet ista: vt in proditionis speculo Atheismi pectus intueatur. Et, si ex fructibus tàm facilè discerni possit Atheismus; quum vuæ a spinis non sint expectandę, nec a carduis ficus: ita non alium a papismo expectemus fructum quàm proditionem, ipsamq; cum securitate regni consistere non posse concludamus.

Relegetur itaq; meretrix, quæ spurios producit; neq; in pace quiescat, quæ publicam pacem violat. Agnoscatur Deus Cœli, vt terrestres Dij colantur: & Deo ascribatur *Gloria*, vt *Pax* sit inter homines. Luc. 2.

Religionis illius veritas prudentèr dignoscatur, quæ Deum homini tàm pulchré coniungit, vt homini etiã homines arctissimé conglutinet, dùm hominem Deo humilitèr submittit: Ipsiq; constantèr, & inconcussé adhæreamus, quæ, vt Deo primas concedit, ita *Cæsari* simul quæ sunt eius, non negat; vt *Cæsare* ad Deũ proximè honorato; *Tranquillam, et fælicem sub Cæsare vitam degamus in omni timore Dei, & puritate.* Math. 22. 1. Tim. 2.

Cumq; non alius magis efficax sit obedientiæ veræ stimulus, quàm quòd oculus Domini semitas nostras obseruet, & ipsum cor scrutetur, & renes: Vt Papistas ad proditionem incitabat hęc vana cogitatio; quod *Deus non videt*: ita contraria nobis sinceram obedientiam suadeat; quod Deũ latere nequaquàm potèrimus. Atq;

né

nè quam destituamur viuo ad hoc indicio, *Proditionem Sulphuream* tantummodò recordemur; & nunquã satis prędicandam ex illius faucibus ereptionem. *Certè nisi Iehoua adfuisset nobis & vigilantissimè prospexisset, cum insurgerent contra nos homines, & foueam facerent; tùm viuos absorbuissent nos exardescente contra nos eorum ira: tũ illæ conturationum aquæ, nos inundassẽt,* & veluti torrens superauissent nos. O si liberatio hæc Deo nos sempèr obsequio prędentes sistat, quæ ipsum nobis auxilio præsentissimum indicauit! O si proditionis detectio Atheismo os perpetuò obstruat, cuius occultatio blasphemiæ os aperuit: vt liberato regno tàm horrendo scelere, supplicij item metu fælicitèr liberetur!

Psal. 124. 2. 3.

Certè, si eiusmodi impietatis confusio labia iam nostra non aperiet, ad prædicandam potentiam, & bonitatem Dei nostri, cuius perficiendæ confidentia, impiorum ora eoùsq; dilatavit, vt dicant non esse Deum: expectemus procul dubio, quod vt Deus Iustificarit se contrà inimicos, nos è manibus ipsorum liberando: ita iustificabit se etiam et contra nos ingratitudinis, tantæ infligendo pœnas, vt in grauius malum meritò incidamus. Si imminentis virgæ metu in ordinem non redigemur, sentiemus onus diuinæ indignationis, & quam semèl effugimus manum, vt misericordia Dei magnificetur, eâ denuò humiliabimur, si ad Deum maturè nõ convertamus. O Deus *Quare errare nos fecisti à vijs tuis?* quare bonitate obdurares animum nostrum à reverentia tui. *Non est penès hominem via ipsius, nec penès virum ambulantem vel dirigere gressum suum. Cõverte nos Domine, vt ad te revertamur.* Cur enim im-

Esa. 63. 17. Ierem. 10. Lament. 5.

pij

pij dicant, vbi est Deus noster? Quare impœnitentiâ nostrâ ipsis spem foueamus, & ingratitudine nostrâ ipsorum malitiam armemus? Certé vt prouidentia Dei priorem laqueum detexit, & potentér confregit; ita (cùm malitiæ ipsorum non est finis) securitas certé nostra vel nouis machinationibus ansam viresq; subministrat, quibus maturâ iniquitate tãdém opprimamur. Monet nos istius oportuné Propheta, quandò addit,

Scrutantur Iniquitates. I.

Psal. 64. 8. *Sect.* 16.

PLVRES, eosq; varios excogitant laqueos, & exponunt proditores, & multiplicibus laqueis Principum piorumq; vitæ insidiantur. Neq; sanè mirùm. Nàm vt proditio occultari cupit, nè fortè detegatur, ità suspiciosa etiam est, ideoq; plures machinas admouet. Atq; vt odio feruntur contra pios immortali proditores: ità ingenio sunt versuto, vt odium expleant. Itaq; non occultant solũ laqueos, vt incautos opprimant, sed etiàm *multiplicant*, vt cautissimos tandèm obruant. Etenìm, & hâc ratione supplent, quod priori arti desit, dùm licet prior laqueus euitetur, alij tamen *succedant*; & *prævalendi* spem vel maximè confirmant, dum *securitatẽ* gignit detectus prior laqueus, & alijs, qui latent; sic *periculosiùs exponit*. Et certè *multiplicatio* hæc *laqueorum*, vel adhùc multò est periculosior, quòd *prudentiam plerumq; confundit*, & grauitèr infatuat; non *terrendo* solùm *suspicione* illius quod *nescit*, sed *desperatione confodiendo* illius quod *metuit*. Sic desperatio dùm *consilium abijcit*, *periculum accelerat*; & *diuinâ protectione* dùm impiè excludit, in *paratum laqueum* meritò conijcit.

Proditores multiplicant laqueos & varijs pugnant contra pios armis.

Sic Laqueos contra *Davidem* multiplicabat *Saul.*

1.Sam.18. 24. Math. 4 22. *Sic Davidis Dominum* infinitis laqueis *Satan eiusq; filij impetebant*: sic Elizabetham nostram fœliciſſimæ memoriæ Principem, inexplebili malitia persequebatur Romana meretrix: Et *Veneno* sæpius, aliquandò *pugionibus*, nonnunquam *sulphure*, & ipsius *instrumentis*, nõ semèl *veneficio* & diabolicis artibus, sæpé occulto, aperto sæpiùs Marte est aggressa. Sic Jacobus noster ab incunabulis est petitus: Et in Triennij spacio, quo nos ipso beauit Deus, (& continuò beet precor) triplici laqueorum genere est impugnatus. Testis sulphurea Proditio in quâ multiplices laquei occultabantur. *Laqueus* animæ, ipsius occultâ malitia: Quâ inopinantes si essemus capti, pœnitentiæ locum non concessisset. *Laqueus corpori*, vitam auferendo. *Laqueus Capiti* ipsum amputando: *Laqueus membris optimis*, iplorum gloriam & spem confundendo: *Laqueus Infantibus*, orbitatem inducendo: *Laqueus Ecclesiæ*, ipsius tollendo *lumina*: *Laqueus Reipub*: ipsam peregrino captiuãdo: *Laqueus legibus*, confusionem inducendo: *Laqueus sinceræ Religioni*, tam immanis sceleris infamiam ipsi invrendo: *Laqueus Posteritati*, ipsius spem amputando: *Laqueus Creaturis sensibilibus, volatilibus cœli, & piscibus aquæ*, quorum plurima horrendus ille sulphuris fragor procùl dubiò absumpsisset: *Laqueus Creaturis insensibilibus*; demoliendo præclarissima ædificia, & florentissimam *Europæ vrbem*, vel solo adęquando, aut saltèm miserè deformando. *Laqueus terræ*, cuius fundamenta concusserat. *Laqueus Cælo*, cui noctem nigram, & confusionem induxerat. *Laqueus Deo*, cuius gloriam exposuisset blasphemiæ Inimicorum: Et *Laqueus* deniq; ipsis *Proditoribus*, quorum præcipuus *Actor*,

Londinum.

Eor, si obtinuisset, fuit subitò tollēdus, ne reliquos proderet: Ambitione alij inter se procùl dubiò commiscerentur, & sic captivitati vniuersali viā præparassent: At re infectâ, quod ad Dei gloriam semper prædicetur. Ecce verè *laqueus ipsis* Machinatoribus; dum in foueā quam fecerunt, iustè inciderint, & proprijs telis meritissimè sunt confossi. Sic profundi sunt impij in scrutādis nocendi artibus, et in impietatum multitudine sibi ipsis adblandiuntur. Esth.

Intueamur hîc naturam Satanæ, qui insatiabili odio fertur contrà sanctos. Eiusq; filios genuinos agnoscite, qui in excogitanda nequitia nunquam delassantur. *Toto die insidiantur vitæ, imò nocte et die ad nocēdū circūcursitant. Non possunt dormire, nisi malum perpetrarint, & eripitur somnus eorū, nisi fecerint, vt impingat quispiam. Imò operam dant malo in cubilibus suis, quod illucescente mane faciunt: quum est in potestate manus ipsorum.* Psal. 102. Psa. 55. Prov. 3. Mich. 2.

Prudentiores igitur in generatione suâ obseruemus filios tenebrarum, dum tam varijs artibus, proposito successum, & sibi securitatem sperant: & tamen in hoc verè stolidos, quod multiplicando laqueos, & peccatū maturant, & ipsorum varietate detectioni magis exponunt: vt prudentiam carnis verè stultitiam esse concludamus; & nullum consilium adversus Dominum.

Proditorem itaq; discernamus Satanam; qui impios pluribus instruit dolis, vt seipsos decipiant. Deiq; Iustitiam super omnia prædicemus, qui dum impijs dat desiderium vt iniquitate se saturent, suum contra illos desiderium hâc ratione exequitur, vt matura messi falcula immittatur. Ioel. 3.

Examinemus insuper nos-metipsos per hanc impiorum conditionem. *Si dicimus, quòd peccatum omninò*
1.Ioh.1.8. *non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis. In multis enim offendimus omnes.* At si peccatũ in nos regnet, & ipsius desideria adimplere cupiamus, satanæ nos prodimus, & salus longé est a nobis. Discernamus itaq; conditionem nostram, vt in peccatis non desperemus. *Delector in lege Dei quoad internum hominem.*
Rom.7. Sic Renatus Paulus. *Ideoq; si illud facio quod odi: nec quisquam ego operor, sed peccatum quod in me habitat.* O, sit delectatio nostra in lege Dei sempér! vtcũq; ex lege membrorum non possumus non peccare: peccata nobis nostra vt ita non imputentur: *semèl loquutus*
Iob.39. sum (dicit sanctus Iob) *sed vlteriùs non respondebo: aut iterum, sed non pergam.* Si semel deliquerimus non audeamus scelus duplicare, nè deterius nobis meritò eveniat.

Inimici Evangelij si laqueos multiplicent, & nunquam desistant iustos persequi: precibus illis assiduis, & industriâ occurramus: neq; de illis vnquám securi, minús de nobis: nec illos sperantes unquam impunitate lenire aut beneficentiâ; nec nos alitér ab ipsorum malitiâ tutos, quàm illorum arundini fractæ, fictisq; osculis prorsùs diffidendo, in Deum nostrum penitùs recũbamus. Hîc figamus pedem, & securi conquiescamus; contrà multiplices adversariorum laqueos nos hoc ipso confortantes: quod non solùm varios liberandi modos habeat Deus; vt varijs illorum artibus occurratur;
Psal.18. sed et plures *eaſq; magnas* prestet filijs suis liberationes
Psal.34. Imò tribulationes piorum vt vt magnæ fuerint, ex omnibus tamem liberabit Dominus. Et licét plurimæ fuerint adversariorum Machinæ, licet hinc *vt onager*

as-

assuetus deserto pro desiderio animæ suæ haurit ventum, Ierem.2.
cuius occasionem quis revocet? omnes tamen quærentes ip- 24
sam non fatigantur, mensibus eius invenient eam; Ita 25
multitudo iniquitatũ proditores tandẽ inveniet: vt ipsorum laqueos desperaté non metuamus. Dixit olim in festinatione sua David, cum nullam a Saulis laque- 1.Sam.27.
is requiem percipere potuit *Ecce iam consumar* aliquo die manu Saulis, & sic labascentem fidem propter diuturnitatem mali patefecit. O, Discamus a Davide animosiore *animum deiectum* corripere, & *excitare*, & in Psal.42.
ipsius angustijs ad Dominum confugere. Audiamus Elizeum servum sic excitantem, *Ecce plures â nobis, quã* 2.Reg.6.
qui contra nos; & Apostolo Paulo constantér credamus,
si Deus nobiscum, quis contra nos? Rom.8.

Sic licet alté foderunt foueam, tamen in ipsam cadent adversarij: sic quò plures laqueos tetenderint, eorum maior erit confusio, vtcunq; confidentiâ laqueorum præcipuè inflentur: sic enim sequitur.

Conficimur ijs, quæ callidissimè sunt perscrutati, adeò Psal.64.
intimum viri & cor profundum est. Quæ verba, iuxta 6
diuersas personas, quibus commodé referri possunt, duplicem constructionem subeunt. Vel enim *Impij* ex occultâ laqueorum multiplicatione confidentiâ intumescunt; quam in eorum personâ exprimit propheta, dum dicit, *Conficimur ijs, quæ callidissimè sunt perscrutati*; ac si Impios induxisset in scelere sibi benedicentes, & fœlicem in corde promittentes exitum: Vel *Pij* aduersariorum consternati malitiâ, & multiplicium laqueorum metu deiecti, verba desperationis emittũt. *Conficimur ijs, quæ scrutati sunt, &c.* ac si non aliud expectarent, quàm ab Inimicis certissimé absorberi. Si

ab Impijs dicta accipiamus: *confidentiam* demonstrãt impiorum in scelere, & eorum ex confidentiâ inanem iactantiam.

Sect. 17. *Impios Deus patienter expectat dum scelera ad maturitatem perduxerint*

IN QVO illud *primò* obseruatu dignum est, vt præcipua huius confidentiæ causa: Quòd impiorum nequitiam in conceptu non supprimat Deus, sed ipsã quasi ad partum crescere permittat, vt de ipsius exitu tã confidenter sperent impij & in confidentiâ suâ contra cœlum os aperiant. *Sic eduxerunt gladium Impij, & arcum in promptu adductum habent, vt trucidarent re. ctos viâ.* Sic *Mardochæo* erexerat *Haman patibulum*, ipsumq; proximo mane suspendendum decreverat. Sic iactitabat *Goliath* se *Davidis carnem, volatilibus* cœli in escam traditurum: adeò verè pronuntiat spiritus, quòd *Pius iudicatur*, & *sententiam necis in se recipit*. Certè vt Deus non omninò peccatũ permisisset, nisi ex malo bonum posset producere: Ità nec impiorum malitiam sic in altum crescere: nisi *gloriæ suæ*, & *saluti piorum* hâc providentiâ consuleret. Quo modo ergò consulit gloriæ suæ? Nempé quò magis in nequitiâ progrediuntur impij, quò propiùs accedunt ad illius exitum: eò magis celebratur *prudentia* Dei in ipsâ gubernandâ, eò magis *potentia* in ipsâ confundendâ. Sic *Iustitia* Dei elucet, dum supplicij sui fabros efficiat Impios, dum desiderium ipsis dando, vt scelera protrahant: ipsorum bono successu stolidè pascuntur; & securitate inebriati, præparantur exitio. Sic clarescit *misericordia*, dum ipsos exempla suis hác ratione proponit Deus, vt à præsumptuosis sceleribus sedulò caveant. Sic *obdurantur* Impij, Pij edocentur; sic *maturant* Impij *peccatum, desideria & suspiria* ad Deum ex periculi metu Impij in-

Psal. 37.

Nehem. 7.

1. Sam. 17.

Psa. 37.

2. Cor. 1. 9.

ge-

geminant: sic violentiam patitur *Cælum*, vt Pij liberentur: sic *mundus* instruitur, dùm Impij puniuntur.

Patientiam itaq; celebremus Dei in sustinendis iræ vasis, vt propositum in ipsorum condemnatione suum iustò exequatur: & peccata nostrâ maturâ pœnitentiâ abrumpamus, nè patientiâ Dei ad cordis obdurationẽ abutamur: & sic iram accumulemus in diem iræ. Sed ipsius decreti capaces reddamur, q̃o nos integritate compositos beatitudine coronabit. 2. Rom. 4. Dan. 4. Col. 1.

Non igitur iustificemus impios: *Quamvis peccatori facienti malum, centies etiam prorogarit Deus dies suos*: neq; pios condemnemus, si in peccati limine ipsos deprehendat Deus, & vel primò germinantem Iniquitatem statim amputet: sed metuamus potiùs nobis, si impunitate peccato fræna relaxentur: & *si à Deo nolimus Iudicari, nos ipsos assiduè iudicemus*. Discernamus nos indies in divini verbi speculo, vt oborientes maculas prudentèr detegamus: & detectas abluamus pœnitentiæ lachrymis, vt imaginem suam agnoscat in nobis Deus. In vocatione ambulemus sedulò, ne tentatio obrepat: & *tentationis primas motiones* intentissimo dolore obruamus, & precatione repellamus ardentissimâ, ne delectatione titillando *consensum* pariant. Si ex delectatione consensus sequatur; *actum* tamen præveniamus *faciendo fœdus* cum externo homine. *Occasiones* vitemus, & impietatis *pallia*, vt peccatũ in conceptu fœliciter suffocemus. Quod si ex consensu in actum emperit, *consuetudinem* fallamus *oportunè nos iudicãdo*, ne consuetudo in alteram naturam abeat, & natura facilè approbet quod necessariò facit. Certè peccatũ quod cita non iudicat pœnitentia, consuetudo obfirmans 1. Cor. 11. 31. Iob 31. 2. Cor. 4.

mans facilè tandèm iuſtificabit: et conſuetudine obfirmatum, dùm ſecuritatem parit, ex ſecuritate etiam deſperatam producit confidentiam: vt benedicat ſibi
Deuter. 29. peccator cum animo ſuo, dicens, *pax erit mihi cum ex ſententiâ* animi ambulaverit, quò addat ebrietatē ſitienti, & optimum ſibi ſucceſſum vel deſperatiſſimæ impietatis pollicatur.

Atq; hanc confidentiam exprimit propheta, quandò addit, *Conficimur ijs quæ callidè ſunt perſcrutati*. 1. vt ex præcedentibus ſubſequentia ritè exponamus: tàm callidè laqueos occultarunt impij, & tanto numero, vt inde confidentèr æquè reſolvant, ac de re peracta: *Quod conficimur ijs quæ callidè ſunt perſcrutati*, adeò intimū viri et cor profundum eſt.

Sect. 18. *Impii ſunt confidentes, & ſecu. in ſcelere: optimum ſibi ſucceſſum in illo pollicentes.* 1. Cor. 3. 19. Abac. 1.

Securos itaq; in peccatis exhibet hîc propheta impios: et optimum ſibi ſucceſſū in illis pollicentes: Idq; non ſine ſingulari Dei *Iuſtitiâ*, & prudentiâ admirandâ.

Etenim cum *ſapientes carpat Deus in verſutia ipſorum*: ideò priori ſuâ prudentiâ infatuandos tradit, vt in ſecretis multiplicibuſq; laqueis ſecurè obdormiſcant, & *reti ſuo* blaſphemé *ſacrificēt*. Atq; cum eos laqueis intricare ſtatuerit Deus, quos pijs occultāt; ideò ſecuritati, & deſperatæ confidentiæ iuſtiſſimé tradit, vt cōfuſione opprimat certiori, & non recuperandâ. Sic *cū*
1. Theſſ. 5. 3. *dixerint pax & ſecuritas, tum de repentè ſurget contra eos interitus, ſicut partus dolor in ea quæ vterum geſtat, neq; effugient*. Certè licet magnâ patientia ſuſtineat vaſa iræ, & dormire videatur Deus in ſupplicijs impiorū differendis, huiuſmodi tamen audaci confidentiâ ad vindictam non poteſt non excitari; vt gloriam ſuam ab impiorum blaſphemiâ vindicet. Atq; cùm æternam vin-

vindictam in temporalibus supplicijs, impijs solet op-
pignorare iustissimus Deus; ideò vanâ hâc confidentiâ
deludendos exponit inimicos: vt istâ deiecti, cùm ipsi
maximè confisi fuerint; æternæ confusioni necessariò
præparentur: dùm aut impudentissimè iustificant in-
fœlix scelus, aut expectatione frustratâ in desperatio-
nem adiguntur. Hoc *Ahitophelem* compulit in sui 2.Sam.17.
suspendium: hoc impios plerumq; gravat suspendio
gravius, quòd malitiæ successu decipiuntur.

Atq; cùm pios è laqueis eripere Deus statuerit: idq;
tamèn non prius, quàm *ardentissimis votis* à suis exci- Psal.50 15.
tetur; vt liberationem pijs modis comparatam & dig- Exod.1.
niùs æstiment, & conseruent meliùs. Ideò filiorum su-
orum preces impiorum blasphemâ confidentiâ, & in-
sultatione acuit, accenditq; vt Deum, & inimicos vnâ
operâ superent. Sic *Rabshakes* verba, blasphemę plena Esa.37.
confidētiæ, *Ezechiam Regem Iudæ* ad preces non fictas
compulerunt: & precibus excitatur Deus, vt iustos è
periculo eximeret, impios autèm in foueam conijce- Psal.12.4.
ret. Sic duplici clamore excitatur Deus; Audaci illo &
blasphemo impiorum ad iustitiam, qui vociferantur
Linguæ nostræ ius obtinebimus, labia nostra penès nos Esa.5.19.
sunt: quis esset Deus noster? qui dicunt, *Festinet, acceleret opus suum, vt videamus, & appropinquans adveniat consilium sancti Israëlitarum, vt experiamur*: Et sup-
plici illâ suorum exclamatione ad misericordiam. *Da* Psal.74.
salutē Iehovâ, quia defecit beneficus, exurge Domine vindica causam tuam, &c.

Et certè cum *Canticum laudis* redemptorum labijs
indet Deus, vt posteritati declarent, quanta ipsis præ-
stiterit: Annon vana impiorum confidentia hîc com-

modò memorabitur; vt iustæ derisioni osores Dei exponantur? Et verè se consolentur pij in mirandâ liberatione; dum de sperata præda impij tàm insolentèr iactitabant: vt potentiam Dei eò magis agnoscant pij, quò impiorum confidentiam maiorem intellexerint; vt confidentiam in Deum eò firmiùs reponamus, quo carnalis confidentiæ vanitatem clariùs perspeximus. Exod. 15. 9. 10. Sic *dixerat hostis Ægyptius de captivis Israëliticis: Persequar, assequar, dividem prædam, explebitur eis anima mea, exseram gladium meum, asseret eos in hæreditatem manus mea.* Et sic in gratitudinis Cantico ad maiorem Dei gloriam, adversariorum insolentiam servi Dei memorant. Sic stolidæ Inimicorum iactantiæ *Debora* recordatur. Iudg. 5. 29. 30. *Per fenestram prospectabat, & minuriebat mater Sisaræ per fenestellam: Cur tardat currus eius redire? Cur differunt incessus curruum eius? Sapientes Principum fœminarum eius respondebant, etiam ipsa referebat sermones suos sibi: Annon assequuti sunt? partiuntur prædam? &c.* Vt confidentiam in Deo de futuro confirment. Vers. 31. *Sic pereant omnes inimici tui, Iehovâ.* At diligentes eum sint, vt quùm *procedit sol in robore suo.* Attende insolentiam inimicorum Davidis. Psal. 35. Ecce proclamant; *Devoravimus eum*; &, vt omnem ipsi in Deo suo confidentiam præriperent, En, imprudentèr iudicant de afflictione eius, *Res nequissima tenaciter inhæret ei, & quòd decumbit, non amplius exurget.* Psal. 41. 9. Psal. 71. 11. Rationem alibi assignant, quod *Deus deseruit.* Ex quo confidentiam in scelere confirmant, *persequimini et prehendite eum, quia nemo est qui eripiat.* Imo, eoùsq; confidētiâ hâc efferuntur, vt in apertam blasphemiam insolentissimé erumpant: & non solùm *consilium pau-*

pauperis afflicti pudefaciunt, quia Iehova est receptus eius, sed, ac si Deus ab ipsorum potentiâ non valuisset suos liberare; ecce piorum confidentiam in Domino subsannant. *Diducunt labium, movent caput*, dicentes, *Devolvit se ad Iehovam, liberet eum, eripiat eum, quandoquidem delectatur eo*: Innuentes scilicet se Davidem tam arctè cõclusisse; vt ne quavis in Deum confidentiâ se posset expedire. Sic dilatavit contra cœlum blasphemum os *Rabshake. Ne decipiat te Deus tuus, in quo confidis &c.* Significans non potuisse Deum ab ipsius tyrannide suos vindicare. Talis olim fuerat inimicorũ Dei insolentia contra pacificos terræ: sic ipsos vanâ spe & confidentiâ devorarunt. Sic peccatores confidentiam in scelere produnt. *Absorbebimus eos, velut sepulchrum vivos, & integros, vt descendentes in foveam: omnem substantiam pretiosam consequemur: implebimus domus nostras spoliis.* Psal. 14. 6. Psal. 22. 8. 9. Esa. 37. 10. Prou. 1. 12. 13.

Et certè, si adversariorum nostrorum spem vnâ consideremus, vt malitia ipsorum tempore & arte creuerit; ita simul confidentia modum non invenit. Etenim quæ contra nos nuper emissa fuit *Classis*, nonne a Patre mendaciorum *Invincibilis* titulo est insignita? Ac si nulla ipsi resistere potentia valuisset? Nonne infernales illi Locustæ, Iebusitæ et Monachi blasphemias impié pro concionibus contra tremendum Deum evomebant; Adulantes sibi turpitér, quòd omnia præter Deum ab ipsorum parte starent, â nostra verò vnus tantùm *Deus*; ac si ab ipsorum manu *Deus* nos non posset liberare? Nonnè *prædam* spe diviserant, priusquàm vel littus salutassent? Annon victorię insignia, torturę instrumẽta plenis dolijs prępararant, *Sect.* *Classis Hispanica An.* 1588.

lanienæ nos omnes et captivitati destinantes?

Et certè, si lesuiticæ istius proditionis fundum rimemus; apparebit profectò ipsam super confidentiæ arenas vel maximè fundatam, & quò nequitiâ parem nō reliquit: eò vanâ præcessisse omnes insolentiâ: *Audite verba* confidentiæ: *laqueus est tam occultus, vt nunquàm possit detegi, necessariò capiet priusquam detegatur.* Sic non semèl *Catesbeius. Legite scripta* blasphemæ plena insolentiæ; *statutum est Deo & hominibus iniquitatem temporis flagellare.* Sic Deum sceleris participē, & patronum faciunt, et de ipsius exitu tam securè prædicāt, ac si proprium opus esset, et decretum Dei. Obseruate *Facta* cōfidentiam spirantia. *Proximus designatus hæres. Proclamationes* huic paratæ, *Munera & honores* regni divisa. *Instrumenta* crudelitatis parata; ne *Vestes* quidem omissæ, quibus *novi* scilicet *Duces*, Comitesq; fulgerent. Ocreatus noctis filius, qui sulphuri ignem admoveret. Generosiores equi è stabulis surrepti vt ad prædam accelerent. Omnia deniq; parata præter solū Deum: vt solus Deus in tam immani confundendo scelere, misericordiam suam in perpetuum exaltaret, & gloriam tantæ *Liberationis* sibi soli reservaret.

In variis cum Hallo. & Grenwello colloquiis. In litteris ad Dom. Montis Aquilini.

Rationem scire cupitis tantæ confidentiæ? Quid quæso *erroneâ conscientiâ* obstinatius? quid *desperatâ* confidentius *ignorantia*? Sic sunt Papistæ. Deinde resolutio facti qualis? Certè *gloriosum pium*, imò *meritorium principes occidere, Regna subvertere.* Sic de istis pronuntiat *Proditorum oraculum.* Quem non tanta confirmaret authoritas, quis non speraret fælicem tam piæ scilicet actionis exitum? Addatur his solertia proditorum in parendis laqueis. *Combinatio virium* ad terren-

Sixtus quintus Pius 5tus in Bullis &c.

rendum, *occultatio laqueorum* vt incautos opprimant, multitudo deniq; machinationum ad confundendam prudentiam, & prouidentiam eludendam; omnia hęc in hac vna Iesuitica proditione mirè conspirantia: ista quin securos facerēt, quî fieri potuit, et admodum cō. fidentes?

Quid, quòd malitia impiorum, cum modum nesciat sui explendi spe iustissimè excæcatur? Magnificemus hîc super omnia stupendam Dei iustitiam, quod confidentiam hanc impijs in maximam carnificinam convertat, non obdurando solum in scelere, sed ipsius ruinâ ita obruendo, vt finis alterius mali gradus sit maioris, donec omnes inimicos in nihilum redegerit.

Quò minus certè mirandum non esse evndem impijs sceleris infecti, & confidentiæ exitum. Quid enim apud fidelem Deum iustius quàm laqueū frangere, vt liberentur sui, et tamen impios sic consilijs suis fascinā. dos tradere, vt per infælicem successum non metienda esse doceant: Sic *Grenwellus*: vt hoc ipsos vel maximé cruciet, quod innoxio sanguine non ebrientur. Sic fax sceleris *Fauxus*: quod nemo tam horrendæ impietatis Apologiam edidisset. Sic *VVinterus*: imò, vt in inex. plebili malitiâ desperatissimam confidentiam agnoscamus, hac vanâ spe post laqueum fractum se mutuò solabātur proditores, quod ipsis essent filij, qui in viros tandem evaderent, quos tantæ perditę causæ vindices in posterum sperabant: sic inter se carcerati *Fauxus* & *VVinterus*. *In horrationē post proditionē detectam.*

Et dubitamus hoc meretricis semen adhuc expectare diem, quo Reipub: noctē & religionis videat? Certè vt misericordia Dei in suos impiorum rabiem accen-

dit, ita rabies ipſorum frænata maiorem crudelitatis ſitim gignit, & cum menſuram impleverit crudelitas, eoùſq; efferatur, vt cum aliundè ſatiari nequit, ſeipſam depaſcat, et ſanguinarios iuſtiſſimè proprio ſuo ſanguine inebriet: adeo iuſtus eſt Deus, dum impios tradendo deſiderijs, eos hac ratione ad falcem præparat, & ſuos ipſorum tandem carnifices facit. Adeo iniquitatis confuſio addit confidentiæ, vt excluſâ pœnitentiâ peccatoq; maturato, exitium animo corporiq; ſimul inducatur.

Non itaq; bonitatem cauſæ ex deſperatâ impiorum confidentiâ æſtimemus, ſed ex confidentiâ in malo deſperatam cauſam ſtatuamus. Vt nec diffidamus cauſæ noſtræ, cum ipſam vindicarit Deus; nec ipſorũ cauſâ infatuemur, quam ipſi adeo impudentiſſimâ confidentiâ reſarcire cupiunt, vt proditionem *miraculis & mendacijs* ſtolidiſſimè aſtruere non erubeſcant. O efficaciam deluſionum! O cauſam deſperatiſſimam! Quod ſublatâ *Elizabethâ* prædam ſperarent Pontificij, carnali forte iudicio aliquid ſuberat, ſed accepto pacificè *Iacobo noſtro*, et in Regnum hæreditario ſibi iure debitum confirmato, Religioneq; per ipſum puriori ſtabilitâ, vt adhuc araneæ telum texerent Pontificij, cum ratio non ſubſit, putetur certè deſperatio. Sed ſuccurrit Satan, et ſulphuream machinam admovet: hinc ſpiritus reſumpti, hinc contra cælum ipſum aperta ora: nè Deum quidem aut poſſe, aut velle avertere. Atq; cũ Deus hunc laqueum cõfregerit, in cuius ſucceſſu omnem ipſi ſpem contulerunt: vt, ſi non obtinuiſſet, Ieſuitiſmum ſimùl, & Papiſmum ruinâ ſuâ ſit demoliturus: idq; tam ſtupendâ ratione, vt in Leoninâ rabie vulpinã frau-

Fictum miraculum de Garnet. imagine in ſpica triticea.

fraudem detegendo in *Æquivocationis* doctrinâ: proditores ne societate hominum, nedum in gratiam principum recipiendos iudicarit Deus: si tamen adhuc attollant cristas: efficaci illi delusioni necessario est tribuendum, quâ decipientes tandem finaliter decipientur. 2. Tim. 3. 13.

Quòd si obstinata peccandi impudentia conditionem arguat desperatissimam: per timorem in peccato statum nostrum in gratiâ experiamur. Certè vt timor offendendi Deum peccatum prævenit, ita & offensi timor Dei peccati incrementa amputat, dum pœnitentiam non pœnitendam in peccatore creat.

Atq; cum impij sic in malo confidant, fiduciam in bono nunquam abijciamus: illi si non consternentur infectâ malitiâ, nec nos oportet confidentiam abijcere, licet omnia ex animo subitò non succedant.

Quòd si veritatem iam prodemus, cum ipsam tam aperte vindicarit Deus in hâc liberatione: si deseremus causam quæ de cœlo sic iustificatur: expectemus profecto futurum nobis iuxta infidelitatem nostram, & confidentiam inanem proditorum, abiectionem nostram convicturam.

Verum enimvero si fiduciam retineamus, & a *longè prospicere* possimus, ex confidentiâ hâc adversariorum æternam eorum ruinam colligemus, nostramq; ab ipsorum machinis continuam liberationẽ. Etenim si cõfidentia in peccato securitatem gignat, & securitas exitij certa sit prænuntia: attollamus capita quòd redẽptio nostra appropinquat, cum insolentia inimicorum summum fastigium creverit. Certè si *iudicium* nobis dati cuperemus; quo confusionem Papistarum accele- 2. Pet. 1. 8. Psal. 86.

ran-

Prov.18.12. rántem discernamus, ne isto quidem dari possit evidẽtius, quam *quod ante confractionem attollit se animus viri*: Proditores sunt audaces, & securi de laqueorum exitu.

Sect.19 *Pii de divino auxilio diffidere solent et animos despondere*

VERVM vt *Gedeoni* duplex signum induisit prudentissimus Deus, quo certiùs confirmaretur de victoria contra *Madianitas*; ita & alium præter confidentiã inimicorum indicem in his verbis concedit nobis Deus, quò liberationem maturam confidẽtiùs apprehenhamus. Quis ille tandem? Certé infirmitatis nostræ sensus, quo nos vlla misericordia indignos profitemur, & ex infirmitatis sensu, virium nostrarum desperatio, ac si quantum à nobis sit nullum periculi exitum perciperemus. Hanc pulchré exprimit Propheta his verbis: *Conficimur ijs quæ* callidissimè sunt perscrutati. i. vt seipsum alias exponit spiritus de salute nostrâ actum

Psa.11. 1.Sa.3 statuimus. Deus deseruit, homo prævalebit, peccata meruerunt. *Dominus est, faciat quod sibi videtur in oculis suis.*

Esa.37. *Ecce filij veniunt ad os matricis, & vis non adest ad partum.*

Psa.74. *Insignia nostra non videmus, non est amplius propheta, neq; est apud nos qui sciat vsq; quò.*

Ion.2. *Dixi eiectus sum è conspectu tuo.* Sic *Ionas* in ventre cætus,

Psa.31.23. *Dixeram in festinatione meâ, excisus sum a conspectu oculorum tuorum.* Sic Davides noster ab inimicis circũseptus. *Oblivione sepelior ab animo vt mortuus, sum vt instrumentum perditum.* Sic in infirmitate suâ effutierunt sancti; sic omnem liberationis spem humanitùs exuerunt. O quàm similis est exterior conditio iusti & iniusti! vterq; dissidit, vterq; se absorptum iudicat. En impij dicunt, vbi est Deus vester? En clamant pij, vbi est Deus noster? O tamen conditio iusti & iniusti quam

dis-

dissimilis! Isti ante destructionem animus inflatur; ille ante liberationē animo dejcitur. Illud disponit Deus, vt pernicies certior: hoc permittit, vt liberatio gratior: In vtroq; cernitur *potentia* Dei; ipsam iustificando in confidentia impiorum confundenda; ipsam magni faciendo in diffidentia suorum condonanda, & quasi lucem è tenebris produxerit, ex diffidentia fidelium viam præparando ipsorum liberationi. In vtroq; cernitur misericordia Dei. *Misericordia* puniens impios, quos desiderijs suis eoùsq; tradit, vt propriâ ipsorum cōfidentiâ iustissimè infatuentur: *Misericordia* verò suis parcens, quorum eoùsq; miseretur Deus, vt ne vel. Ipsorum fidelitas fidem ipsius irritam possit facere: in vtroq; vindicatur *gloria soli Deo*: *gloria* ab impijs, cum ipsorum expectatio & iactantia sic in fumum abeat; & *gloria* etiam a pijs, qui et in hoc omni iactantiâ meritò deprivantur, quòd supra omnem spem a Domino eruuntur; & Deo se soli *gloriam* debere meritò agnoscant, cum nihil præter ignominiam & confusionem ipsis meritò deberi senserint. Sic cum reverti statuerit Deus vndiquaq; deserit non solum corpus exponendo hominum laqueis, sed animam etiam vel a satana ventilandam, dum fidem concuti, & occultari permittat, vt reti nostro nequaquàm sacrificaremus. Sic humiliatione ista proditoriam carnem intus deteget externis proditoribus longé periculosiorem, vt periculi causam â nobis profluxisse agnoscamus, & vindictæ nostræ aciem in nos ipsos præcipué convertamus; quò ab aliorum proditione fœliciùs liberemur. Sic magnitudo periculi oculum carnis fallit, vt oculum fidei quoad sensum extinguat. Sic aliquando in periculo vident pij quid pec-

Dan. 9.

Luc. 22.

cata meruerunt, vt quomodo misereatur Deus, per hũc speculum non intelligant: Et sic ex sensu meriti sui diuinæ Iustitiæ se subijciunt, vt humilitatem non fictam Deo approbent. Sic fidei hoc defectu fiduciam in nobis omnem fæliciſſimé præripit Deus, vt ab ipsius manu tantummodò dependeamus. Sic diffidentia nostra inimicorum rabiem accendit, ipsosq; in vana sua confidentia efficaciùs confirmat, vt illorum confusio evadat desperatior. Sic etiam fidei nostræ deliquium in ipsius confirmationem vel maxime cedit, dum & illius oppressæ causas apprehendamus; & ipsius excitandæ media diligentiùs adhibeamus. Sic malitiam satanæ experiuntur pij, vt fratres suos faciliùs ex illius faucibus eripiant. Sic occultata fides eludit satanam, dum frustrà insultat piorum infirmitati, & se hac ipsis vané confidit; sic per inferni littus ad cœlum nauigamus. Sic Pij humiliantur, confundũtur *impij*, *Deus* glorificatur, *Diabolus* eluditur: Sic *potentia Dei in infirmitate perficitur*; sic *omnia cedunt in bonum electis Dei.*

1. Cor. 12. Rom. 8. 29.

Non igitùr percellamur ac si peregrinum nobis accideret, quod ecclypsin fidei patiamur, & de auxilio diuino pro tempore desperemus. Certè & *tentatio nos* hîc alia non capit nisi *humana*, ne putemus nouam; & à Christo etiam sanctificata, vt ineluctabilem non diffidamus: eaq; æquè necessaria, si Deus vultũ tollat, atq; lunam obscurari luce solis sublatâ: & omninò non inutilis, vt sub Deo humiliemur.

1. Cor. 10. 13.

Agnoscamus igitùr hîc liberè infirmitatem nostrã, & ad eiusmodi tentationes cum metu pręparemur: expectantes simul ignita Satanæ tela, cùm malitia hominum nos vndiquaq; circumdedit. Sic *Iobus* ab *intus* & *ex*

Iob. 3 chap. 6.

extra in die tentationis oppugnatus. Sic *Paulum interni, externiq;* terrores penitùs circumsederunt. Sic *omnes, qui piè in Christo cupiunt vivere, afflictiones vstringq; perferent.* Operemur itaq; salutem in *timore & tremore*, vt ruinâ huius tentationis, cum venerit, nõ opprimamur: non somniantes in hâc vitâ perfectionem, cum vita vitæ sic periclitetur fides, nec securitati aut præsumptioni fræna dantes, cum hijs præcipuè fides occalescat. 2. Cor. 11. 2. Tim. 3. 12. 2. Phil. 2. 12.

Sed super *omnia æstimemus favorem Dei*, nè opinione illius vilescente, sensus iustè tollatur: & ipsi cor nostrum super omnia approbãtes, vt in pulchritudine nostrâ delectetur Deus; ipsamq; præsentiâ suâ puriorem reddat. Ps. 4. 6.

Hilariter excipiamus *motiones spiritus*, ipsiusq; placita non gravatè exequamur, ne ipsum contristando tandem ita extinguamus, vt illius operatione cessante, fides etiàm occidat.

In speculo verbi nos assiduè contemplemur, vt inustas maculas subitò abstergamus, ne consuetudo peccati fidem enervet.

Et rationem vitæ quotidie à nobis exigamus, vt Judicantes nosmetipsos à Deo non Judicemur; divini favoris absentiam, gravissimam castigationem iudicantes, hancq; præ alijs omnibus afflictionibus ardentissimis nostris votis deprecantes, vt audiamur in illo, quod tantoperè metuimus.

Quod si divinâ dispensatione eveniat nobis quod metuimus; Justificemus primò Deum, qui rationem habet cur deserat, non *voluntatem* tantùm *suam*, sed & *peccatum nostrum*: & adesse interim nobis potest vt-

Genes.28. cunq; cum *Iacobo* neſciamus.

Non igitur *Deo* ſed *nobis* diffidamus, ſi tremēda fortè à corde audiamus: ſciamus ipſum carere iàm luce ſuâ; ideoq; contra ſe de Deo falſa pronuntianti nō credamus: & ipſius teſtimonium, non Dei veritatem condemnemus. Sicut ſperamus ea quæ neſcimus, ità credamus etiàm quæ non ſentimus. Hæc eſt victoria fidei,

Iob.13.15. *ſupra ſenſum emergere*: hæc lux è tenebris, hic exitus

1.Sam.3. tentationis. Si in Deum credamus, etiamſi occiderit, humilitatem certè præſtabimus, ſubijciendo nos *voluntati* Dei, & fidei etiam robur vltra hanc vitam proſpiciendo. *Cum deficit caro, imò anima mea, tum rupes animi mei, & portio mea Deus eſt in ſeculum.* Sic *Dauides*

Pſa.72. noſter; ſic periculi extremitas probatio fidei; & vbi ſēſus deficit, fides triumphat. Illud ſtatuentes, *gratias Dei eſſe ſine pœnitentia*: Jdeoq; fauoris divini ſenſum

Rom.11.28. abeſſe aliquandò poſſe, at quem ſemèl dilexerit, nunquàm non diliget: vt ſi velimus apprehendere favorē, qui non ſentitur: & credendum eſt etiàm vtcunq; non ſentiamus. Hic *cibus fortibus*: Hic *carnis malleus*: hic *Satanæ laqueus*: *hic in cælum aditus*. Sic Carnalis auxilij defectus fidem concutit, vt ſic carnali fiduciâ purgatâ, divinum auxilium fortiùs apprehendat. Sic ſtupendâ ratione virtus in infirmitate perficitur, & ſalutis noſtræ gloriam ſibi ſoli reſeruat Deus, dum qui ipſam inchoauit, ſolus hâc ratione in miſericordiâ perficit.

Sect. 20. *Sulphurea propoſitio ſpeculum tum impietatis huius ætatis tū futurorum Papiſtarum contra nos conatuū*

Confodimur ijs O Deus quæ callidè ſunt perſerutati: Exurge quæſo, & age cauſam tuam, quia vana eſt ſpes hominis, & expectatio noſtra in terris concidit. Atq; hactenùs de Inimicorum laqueis contra ſanctos Dei.

RELIQVVM eſt vt propoſitionis hoc Judiciū nobis

ap.

applicemus; quidq; ab eiuſmodi periculis ſit addiſcendum, paucis obſervemus.

Certè, vt omnia ſuccedunt in bonum pijs, ita vel ex proditione non parum emolumenti nobis accedet; ſi vel *præſentem conditionem noſtram* velimus intueri; vel adverſariorum contra nos maliti am, vel quid de vtriſq; ſit in poſterum conijciendum. Rom. 8. 29.

Quod ad præſentem noſtrum ſtatum attinet. Vt illius ignorantia nõ contemnenda fuit iſtiuſmodi machinationum cauſa, ita in hoc Judicij intentati ſpeculo non obſcurè poterimus intueri faciem noſtram; vt peccata noſtra maturâ pœnitentiâ abrumpamus. Etenim vt Judicia ſua tanquam ſpecula nobis proponit Deus, in quibus maculas noſtras diſcernamus; ita in hoc ſpeculo Proditionis particulares vltimorum temporum noſtrorum labes non difficile eſt perluſtrare.

Quæ tandem illæ? Expedit paucis Apoſtolus *Timotheo* ſuo. *Illud ſcito fore, vt in extremis diebus inſtent tempora moleſta. Erunt enim homines ſui amãtes, Avari, Glorioſi, Superbi, maledici parentibus immorigeri, Ingrati, Prophani, Charitatis expertes, neſcij fœderis, Calumniatores, Intemperantes, Immites, minimè amantes bonorum, Proditores, Præcipites, Inflati, Voluptatum amãtes, potius quam amantes Dei habentes formam pietatis, ſed qui vim eius abnegarunt.* 2. Tim. 3. 1. 2. 3

Iſta peſſimæ huius ætatis vltimæ ſymptomata nobis proponit ſpiritus. Iſta in proditionis huius artificibus facillimè licet intueri omnia.

Quid enim iſtos ad tam immane facinus ſic auſpicãdum impulit? Annon *Amor ſui* vt *remotâ gubernatione* pro libito viuerent? Annon *Avaritia* inflammavit, *Proditores. Amantes ſui. Avari.*

vt pinguedine terræ ſoli potirentur? An non ſtimulavit
Ambitioſi. Superbi. *Ambitio*, & *Superbia*, quòd ſuperiores ferre nequirent?
ipſiq; de rerum ſummâ ſoli diſponerent?

Maledici. *Age* in proſequendo tam immani ſcelere quę impietates eruperunt? An nō *maledixerunt ſtatui* noſtro, ipſum *crudelitatis* & *perfidiæ* iniuſtiſſimè inſimulando, vt impietatem ſuam falſâ imputatione indigniſſimè palliarēt? Quàm hîc ſe prodebāt *parentibus immorigeros*, dum non Rempublicam tantùm & Eccleſiam matres ſuas, communi Parente ſuo & Nutritio orbare laborarūt: ſed parentes ſimul cum filijs vnâ tollere, et generalem orbitatem dulciſſimæ patriæ inducere? Et nōné hic *Ingratiſſimos ſe filios* prodiderunt tam fælici
Ingrati parenti, qui ipſos in *protectionem* gratioſè receperat, aliquos eorum in privatum *famulitium*, imò in *ſinum* admiſerat; *remiſerat* ipſis *mulctas* lege impoſitas: *et honoribus non contemnendis* eorum plurimos affecerat?

Prophani. Iud. 11. *Sed* obſtupeſcite, *viri fratres prophanos hos Eſaüos*, qui vnico edulio ius primogeniti vendiderunt, & non *Religionis tātum ſacra* ad horrenda facinora iuſtificanda proſtituerunt: ſed et ipſa etiam inſtrumenta adhibuerunt ad tollendam vitam principum.

Charitatis experies. *Et* quàm obſecro hîc *expertes charitatis*, qui de ipſa præcipuè iactitant, vt ne innocentiſſimis Regis liberis ipſę Regni ſpei parcendum ſtatuerant?

Fœdifragi. Et nonnè præcipuum Antichriſtiani Regni eſt fulcimentum *Fœdera rumpere*, & *fidem violare*? Teſtetur *Ladiſlaus Hungarus*, & *Cardinalis Iulius*: O quàm in hac proditione *fœderis iſtis immemores*! quā *Iuramē. ti conſcientiam ſceleratiſſimè cōculcarunt*!

Calumniatores Quod ad *Calumnias* attinet, Antiquum hoc *meretri-*

ci

ci matronam sic conspurcare: & Ecclesiam, Rempublicāq; nostram foris domiq; portentosis calumnijs impura ista ora nunquid non oneratunt? Atq; quod *Lupi oves* proditionis insimularent, et vuâ cum vita etiam ipsis æstimationem tollerent, hæc, nisi ab ipsis agnita, fidem certè superarent.

Quid hic memorem vobis Luporum *intemperantiam*, & ingluviem? Quorum vel *ieiunia* sunt intemperatissima, & libidinis superbiæq; præcipuæ fomites? *Intemperantes*

Et quis obsecro lupos miratur *immites*? Observate (viri fratres) crudelitatem pluspquam belluinam: Ecce Frater fratrem persequitur: & Pater dilectū filiū Regni hæredem non solùm lupis istis dilaniandū debet exponere, sed ne lugere quidem indignissimè peremptum. *Immites.* *Diazius. Hispanus.*

Quid foràs prospicimus? Ecce *sulphuream proditionem*, & crudelitatis in eo abyssum possitis obseruare. Parùm erat vitam eripere, quin ipsum mortis instrumentum, & genus, quâvis morte fuisset terribilius, vel ipsi Ethnici mortuos defleuerūt. Quæ igitur fuerat illa immanitas quod in amicorum laniena isti exultarent? Crudele profecto fuisset præsentem Florentissimi Regni gloriam confudisse: Atqui posteritatis spem simùl amputasse, & eradicâsse penitùs, nomen gentis potentissimę; crudelitas hęc profectò diabolica, & Immanitas nullo exemplo æquiparanda.

Annon in hoc ipso se *minimè amantes bonorū* prodebant, cum non solùm optimo de ipsis merito Regi laqueos parabant: sed et ipsius innocentem sobolem, Regni florem & posteritatis coronam vnâ absorbendā statuerant, adeoq; pacificos terræ penitùs abolendos? *Minime amantes bonorum.*

In

Præcipites

In quo operæ pretium est obseruare Iustitiam Dei in proditores, qui spiritui præcipitantiæ & Vertiginis dū ipsos exposuit, in ruinam suam hâc ratione iustissimè præcipitavit, ipsosq; internecionis suæ fabros effecit.

Inflati.

Huc vt ante ruinam animus impijs inflatur, ita prudentiâ suâ inflandos Justissimus Deus tradidit, vt graviori lapsu in tempore vindictæ opprimerentur.

Amantes voluptatum potius quam Dei.

Et nonnè iustum fuit apud Deum ipsos in reprobū sensum tradere, vt illa facerent, quæ non conveniant: cum licet Deum se scire profiteantur factis tamen negant, & voluptatum potius quā Dei sese amantes prodant? Et quem quæso alium ab illa superstitione fructū expectare possimus quam rebellionem, quæ nedum formam pietatis habeat, multo magis ipsius vim abneget?

Habentes formam pietatis sed qui vim eius abnegarūt.

Certé sic est Religio Pontificia.

Licentiæ officina & impietatis Patrona. Sic in Templo Dei licet sedeat Antichristus, exaltatur tamen super omne quod vocatur Deus, & ordinationi Dei insolentissimè resistit.

Hinc nata *Proditio*, Ferax monstrum, & ex pluribus sceleribus compositum, his vltimis temporibus à Satana & superstitione prognatum; & a Diuina providētia dispositum prudentissimé, vt in ipsius speculo supina hæc ætas videat labes suas, & maturè resipiscat.

Secundus vsus Proditionis.

Atq; hic primus proditionis vsus.

Secundus sequitur non minùs necessarius: *Vt aduersarios nostros penitùs dignoscamus*: & in sulphurea hac proditione tū quid nobis ab ipsis est expectandū, tum quid ipsis a nobis est ferendū plané discernamus. Certé non opus est iam *Elizeo*, qui nobis referat quid in cas-

castris *Aramitarum* est machinatum, nõ exploratore opus vt quid Romæ in Conclaui contra Ecclesiam Dei consultatur, intelligamus. Inspiciamus tantum *Sulphuream proditionem*, & ipsa nobis consilia Papistarum vires; dereget, vt contra ipsorum Machinamenta in posterum præmuniamur. Quid enim? Annon plané iam perspicimus meretricis erga nos animum? Cuiquam ne iam dubium esse potest, nihil præter extremam nostram desolationem Antichristo placiturum? Audite *Garnetti* hymnum *Gentem auferto perfidam*: proditionis fundum vnà comparate. Non hic abundè apparet, non conscientiæ intendi satisfactionem per alterationem religionis sed impletionem libidinis in extremâ omnium *rerum* & *ordinum* confusione?. *Canticum Garnetti.*

Et fidem posthac adhibebimus *Ioabi* osculis? an nõ gladium in viscera nostra evaginandum prudentèr cauebimus? Num iam aliqua relicta spes ipsos nobis reconciliandi; cum nos ipsis nunquam reconciliari posse profiteantur? Certè nisi pace nostrâ penitús obcæcati fuerimus, *ovem lupis* posthac non committemus: si Deus nobis misericordiam intendat, societatem cum *filijs Belial* nunquam retinebimus. *Bellarminus & alij.*

Pacem orare manu præfigere puppibus arma, in hac *proditione* perspiciemus; et ab implacabili inimico expectabimus pacem, num periculo animarum infidam pacem faciemus?

Quotusquisq; prudens est, qui ista intelligit, et cui brachium Domini hoc ipsum revelabit. Certè vt *fælicitati nostræ* testimonium abundè perhibent adversarij, quod ipsi tantoperè invident eamq; oppugnant; ita conditionem suam planè desperatam prodiderunt,

quod tam abominandis artibus ipsam reparare conẽtur. Agnoscamus igitur beneficia Dei, & ovemus iugitèr in salutare Dei nost. i; quo ipsos invidiâ suâ magis cruciemus: et cum Antichristi interitum in hâc proditione instare perspicimus, reiiciamus prorsus inæquale iugum, vt mole tantum suâ Jmpij opprimantur. Atq; hoc secundum est, quod ex hac proditione discimus.

3 *Vsus appropinquare diem Iudicij.*

Restat tertium. Scilicet vt *diem Iudicij* appropinquantem discernamus, dùm eiusmodi horrenda scelera in hoc mundi delirio erumpere percipimus:

Vt attollamus Capita, quia Redemptio nostra est propè, & præparemur in occursum Do nini nostri Jesu Christi. Atq; hæc de proditionis huius vsu breuitèr dicta sũto.

Sequuntur Laqueus
Fractus, & Piorum Liberatio.

Laqueus fractus.

Vers.8. *Sed vbi iaculis petierit eos Deus, sagittâ repentinâ fuerint plagæ eorum.*

Vers.9. *Fecerintq; vt ipsâ linguâ suâ in seipsos impingant; Vagi se in fugam dabunt quisquis viderit eos.*

In quibus verbis confusionem proditorum ab *Authore*, *Modo*, *Effectisq;* amplificat Spiritus, & ab impiorum interitu piorum etiàm liberationem implicat.

AVthor Justissimæ huius vindictæ proponitur *Deus*. Et sanè meritò. Quem enim impij probris affecerunt, quem blasphemarunt? Annon Deum? Quis *spes Israelis*; & *custos populi sui*? Annon Deus? Sic Justus in promissis, suos liberat, sic in Judicijs iustus impios confundit. Quæ causa est cur impij pios persequũtur? Annon Dei? cuius iam gloria blasphemiæ exponitur? Annon Dei? Exurgit itaq; Deus ad agendam causam suam, & confundẽdo impios, suos è laqueis eripit; vt vindicetur gloria ab inimicorum blasphemiâ; & piorum ora aperiantur in laudes Dei. Quisquamnè pupillam oculi impunè tetigerit? Quisquamnè Vnctos Dei securè violabit? *An trucidabitur hæres, & non pessimè perdet Dominus tàm perditos sicarios?* Certè, vt Deo Principes sunt magis propinqui: ità Satanam ejusq; asseclas maximè habent aduersarios: Et nunquid vlla

1. *Sect.* 2. *partis.* *Deus liberator Ecclesiæ, & suorum.* Esa.37.

Mat.21.41.

prævalere Satanæ potentia poteſt, quàm ſolius Dei? Nonnè Jehoua in auxilium Jehoſhuæ aderit, Satanamq; increpabit; licèt à dextris ſtantem? Annon Eccleſiæ ſuæ Nutritios liberabit Deus? Et in Regis incolumitate, Eccleſiæ ſaluti proſpicit? En *ordinis*, non *confuſionis* eſt author Deus: Jdeoq; etiàm & illius præſervator; vt per quem Reges regnant, ab eodem protegantur, & qui gubernationi reſiſtunt, Deo ſe etiam reſiſtere intelligant. Sic Jmpiorum laqueos confringit Deus; & ſuos ex illis clementiſſimè liberat.

Exod. 15. 2. *Iehovah igitur eſt bellicoſiſſimus: Nomen eius eſt Iehovah*: Jdeoq; in ipſo, & pro illo arma capeſſamus, ipſumq; nobis robur ſtatuamus, & clypeum. *Iehovah vltor, & vindicta eius*: Cauſam itaq; noſtram Deo commendemus. Et malum bono (ſi fieri poteſt) ſuperemus. Pſal. 94. 1. Rom. 12. *Deus intuetur moleſtiam & indignationem*, imò *repoſcit ſanguinem cæde fuſum*: *Ideoq; committat ſe fidei eius defectus viribus, & pupillus adiutorem ſibi Deum ſtatuat.* Non dicat ampliùs in ſuperbiâ impius, *Deus non videt*: Neq; pius in feſtinatione, *Deus deſeruit. Iehova* Pſal. 10. 14. Pſal. 99. 1. Pſal. 110. 1. *regnat in Sione, licet populus commoueatur*, & regnabit iugitèr, donec inimicos diſpoſuerit eius in ſcabellũ pedum ſuorum. Non igitùr *Deus eſt vt homo*, vt maledicat, vbi benedixerit: neq; homo vt Deus, vt maledicẽdo, maleſaciat. *Licet mater filiã deſerat, non poteſt ſuos deſerere Deus. Imò quamvis pater, & mater nos derelinquant, Iehovah tamen nos recipiet.* Confidant itaq; *Principes* in conditione licet lubrica, quum, qui ipſis ſceptra confert Deus, ſimilitèr & conſervat. Confundantur *Proditores* in malitiâ ſuâ, *quum reſiſtendo potentiæ, reſiſtunt Deo*, & ſic Deum iuſtiſſimè contrà ipſos

Num 23. Iſa 48. Pſal. 27. Rom. 13. 3.

pro-

provocant, *cui nulla potentia aut consilium prævalere poterit.* Humilientur Principes sub potẽti manu Dei, cum sine ipsius auxilio stare non poterint; seq; intrà divinæ providentię cancelles prudenter contineant; *Osculando filium Dei & ipsius regnum promovendo.* Non securè obdormiscant, quando ipsis invigilet Deus: neq; ad stolidæ clementiæ nomen aucupandũ parcatur impijs, vt diuinæ iustitiæ gloriam relinquant. Certè qui impios iustificat, innocentes condemnabit; & quæ impijs parcet misericordia, sibi ipsi est carnificina. *Eò quod virum à me anathemati devotum dimisisti è manu: Ideò erit vita tua pro vitâ eius, & populus tuus pro populo eius.* Sic contra Regem Jsraelis pronuntiat Spiritus. Etenim, vt præsumptio est vindictam sumere cum vocatio non approbat; ità abiecti animi sibiq; crudelis gladium in vagina recondere, cũ iniquitas efferatur, quia prodendo vocationem, diuinâ providentiâ iustissimè excluditur, & malitiæ impiorum meritò exponitur.

Prov. 21. 30.

Psal. 2. 9. 10.

1. Reg. 30.

Quod si omnes laqueos detegere nequeamus, (ut quisnam malitiosi cordis internas possit, & varias discernere machinationes) Et certe *prudentiæ* aliquando convenit non advertere omnia quæ videmus, & *clemẽtiâ* etiàm nõ indignum multa quę videmus præterire: Jmo si *Agagus reservetur, & opima spolia*, si magni culices telam perruperint: Neq; tamèn aduletur sibi Agagus *quod amaritudo mortis recessit*, neq; diffidant pij quin omnes opportunè Jnimicos suos Deus pessũdabit. Nam licèt impunè euadat *Shimei* cum vindicta non sit opportuna, tempore tamen idoneo concludet ipsum Deus sub manu vindicis, & capietur laqueo quẽ ore suo posuerit: Et quamvis aduersarij veritatis ad tẽ-

1. Sam. 15.

2. Sam. 16.

1. Reg. 2. 46.

pus fortaſſis plagâ eximãtur *(vt neceſſarium eſt aliquos ſupereſſe quò fideles probentur)* ideóq; ſe fallant, quod amaritudo mortis receſſit: ſciant tamen non dormire vindictam; ſed ipſos maturâ impietate tempeſtiuè oppreſſuram. Jmpunè licet evadat *Ioabus*; dum *filij Tzerviæ firmiores ſunt Rege*, neq; peccatum *Ioabi* adhuc
2 Sam 3. 1 Reg. 2. 31. prorumpat in maturitatem, aderit tamen tempus quũ *Salomon* erit ipſo firmior, & prioris ſanguinis reatus homicidam iſtum protrudet, ad percipiendam mercedẽ ſanguinis, dum in apertam *rebellionem* poſteà erumpit.
1. Reg. 13. Sic oportunitatem vindictæ tum demum capit *Ioaſh*, cum in Regno confirmatur; & licet inquieto ſtatu Juſtitia ſileat, audietur tamen motu compoſito, & nocentum capita iuſtiſſimè concutiet. O cõſiderate iſta quot quot innocuo ſanguine manus proluitis, & dum in poteſtate manus eſt, ſecurum ſcelus peragitis. Ecce ſanguis quem effudiſtis vindictam clamitat, & conſtituto tempore tã inexplebili ſanguinis ſiti vos tradet Deus, quę niſi *potentũ* ſanguine nequeat reſtingui, vt peccatũ iam veſtrũ, potentiæ occurrens, quæ ipſi valeat præualere, condignam ſibi mercedem meritò percipiat. Certè qui conſcientiâ non mouetur, effundendi ſanguinem pauperum, quòd in poteſtate manus ſit, nullius tandem ſanguinis deperdendi conſcientiâ afficietur, vt in manus eiuſmodi tandèm incidat, quæ ipſius ſanguinem hauriant. Et quamvis priori delicto clementia principis indulgere poterit, *(vt Cor Regis eſt in*
Pro. 21. 1. Pro. 19. 11. *manu Domini, & gloria hominis ad errata connivere)* v.
2. Pet. 2. bi tamen ſeria non inſequitur vitæ reformatio, ibi cum cane ad ſuum ipſius vomitum impius revertetur, vt vindicta tandem iuſtiſſimè apprehendat. Ecce *Adoniah*

iah veniã semel impetrat, proditoriè se licet cõtra Salomonem gesserit. At nescit modum proditio, nec repulsam patitur, sed vires denuò resumit, fraudemq; viribus adiungit; vt cùm prudentiam præ se ferat, prodat stultitiam dum sibi ipsi foveam *merito* parat. O considerate ista quotquot Principum patientia, ad vos in scelere obdurandos stolidè abvtimini, vt *vnctum Dei* proditorijs vestris artibus impetere non cessetis. Certè qui filiorũ suorum saluti invigilat Deus, qui *Vnctum eius* & ipsius causam tuetur: Ille vos tandem tradet impietati tã desperatæ, quæ vos abunde compensabit debitâ confusione. 1. Reg. 1. 53. 1. Reg. 2. 25.

Mihi si fidatis parum: Credite saltẽ oculis vestris: & in sulphureæ proditionis exitu immediatam Dei providentiam intuemini. Quis miserationem extorsit a pectore tam adamantino vt in proposito tantæ cædis, *vnius* tamen *præservandi* studio teneretur? Annõ Devs? Quis *literas* in hunc finem mitti curauit etiam a proditorum crudelissimo, quibus ipsa proditio in genere est detecta? Annon solus Deus? Quis *Nobilis* flexit animum vt *literas publicaret*? certè non hoc ipsum docuit Papisinus, nec prudentia carnis. Quis literas *publico bono* seruire fecit, quæ priuatum tantum intendebant? Annon prudens Deus? At *obscuræ* erant *literæ* & *sensus dubius*. Quis *diuinam mentem* Regi nostro indidit, vt illum sensum conciperet, qui vel proditionis naturã acu tetigerit? Annon Potens Deus? Quis prudentem hoc tempore *suspitionem* Regi iniecit vti bis lustrari præciperet loca, periculo subiecta, qui aliàs suspitionẽ vt Tyranni morbum averlabatur? Annon Deus?

2. *Sect.* *Immediata Dei manus in pyriæ proditionis exitu.*

Naturâ proditionis fælicitèr investigatâ, Quis *par-*

les

lamentum sępius prorogavit, vt malitia impiorum dilata, & delusa magis accēderetur? Annon prudens Deus? vt ipsis daretur occasio *conducendi fornicem; cuneūq; relinquere*, cui si adhęserant, nullâ humanâ industria laqueus posset detegi, quò confidentiâ adauctâ, securitas invalescebat, & impietate sic maturâ falculæ præparentur. Atq; cum *anquisitio* fieret in suspectis locis & ad ipsius fornicis ingressum vbi sulphurei cadi recondebantur, iam ventum esset: Quis ita disposuit, vt *Incendiarius Fauxus, extra fornicem* quo nupèr exierat deprehenderetur, quem si intra comperissent (vt ipse fassus est) horrendum illud scelus aliquantisper obtinuisset? Annon hic apparuit stupenda Dei manus? Proceda-mus vlterius: Laqueo detecto, & periculo auerso: Quis proditores adeò infatuauit, vt *cum scelere obscurè per literas apprehenso & suspicione excitata, ipsis se aliò recipiendi opportunitas daretur*, nihilominus tamen se extrema tentaturos statuerent: Annon iustus Deus? Vt hâc ratione & ipsorū impietas magis innotesceret, Ipsiq; publica iustitiæ fierent spectacula? Considere-mus insupèr, quòd impietate patefacta cum nihilominus securitati suæ abundè prospexissent proditores, *si Elizabetham Principem*, vti statuerant obsidis vice *captivassent*? Annon in hoc emicuit singularis Dei iustitia vt *Proditorum alij alijs essent nuntij proditionis detectæ*; etiam cum ad Elizabetham deprædandam sub *venationis specie* convenissent, quo venatoribus istis horrore percitis, præda è faucibus potentissimè est erepta? Deinde cum *vnica hæc proditoribus spes supereßet in apertam rebellionem erumpere*; Quæ humanò iudicio non leue incendium, & desolationem toti Reg-

no

no esset allatura: Quis hic subditorum animos, aliô-quin opinione dispares, neq; ad prædam forsan ex parte imparatas, in obedientiâ tamen adeò vnanimes cõtinuit: vt quamvis Papistas hâc calumniâ accendere non cessabant *Iudaitæ quòd ipsorum omnium iugula peterentur, insurgentium tamen numerus*, haud vnquàm ad *centissimum* accrevit? Annon solus Deus? Deniq; cum illos laqueo suo suffocare sic statuerat Deus, vt *soli nocuis artifices arte perirent suâ*, Annon ipsi soli debetur, quòd ipsorum *pulvis tormentarius non modò sit absumptus, sed & in proditorum capita iustissimè cõversus*: quò si potiti essent, innocui proculdubiò sanguinis nõ parùm effudissẽt? Quid pluribus moror? Annòn reos habemus cõfitentes, *digitum hunc fuisse Dei*: quod proprijs artibus iustissimé perierunt? Sic olim fatebantur *magi pediculis oppressi*, quod *digitus Dei* tàm mira perfecit. Sic proditores sulphure suo correpti *flexis genibus agnoscebant manum Dei*; & ipsius vindictæ se sponté exponebant. Deus igitur solus sibi victoriam huius liberationis comparauit. *Winterus in Confess. Exod. 8.*

Contremiscant igitur *Athei* qui, dicunt non esse Deum, cum vel ipsorum ore Deus ipsos convincit.

Confortentur pij, qui in Deum recumbunt, cum opportuno tempore Deus ipsorum causam vindicabit: Et acquiescant de futuro securi in Deo, quùm se suos nũquàm deserturum fidelissimé promisit. Atq; vt promissionum ipsius capaces simus; *ipsum à nobis retinere* discamus *fide*, & *obedientiâ*. Causam agamus Dei, & ipsius prælia pugnemus. Absit, vt nos *causam deseramus Dei*; cum ille suam in nobis sic iustificarit. Absit, vt in

castris inimicorum tabernacula figamus; cùm *Deus illa nobis spolianda* concesserit. Certé *si maledictus erat Meros quia non advenerit ad auxilium Iehovæ*, quid fiet de nobis si Iehoue inimicis succurramus? Quid nobis est expectandum, *si Dei amicos deseramus*?

ud. 5.

Vt quisq; sapiens est, ista ad cor apponet, seq; a maledicta generatione præservare cupiat; vt non exemplo vivat, sed lege Dei: & Deum sibi, non hominem scutum faciat. Certe licèt homo decipiat, fidelis tamen est Deus, & *cùm Principes defecerint*, ille tamen manet in perpetuum, & *dominij ipsius non est finis*. Itaq; si brachium carnis nos iustò fefellerit, agnoscamus humanum, & iustum à Deo, quòd ipsum spem nostram fecimus. Quod si adhuc oculi nostri ad Deum fuerint, & in ipsum contrà spem recumbamus fortiter, Inveniemus profectò ipsius tùm esse tempus nos è laqueo eruendi, cum ab homine salus perierit. *Et cum videat nullum esse virum, qui interponat se in causa piorum, salutem afferet ei brachium ipsius, & Iustitia ipsius hæc fulciuit eum.* Conquiescat igitur anima nostra in Deo forti, ipsiq; gloriam bonitatis suæ soli ascribamus, quia ptopriâ manu & dextrâ sibimet ipsi victoriam comparauit. Et confi,

Pfalm. 146.

Esay. 59. 16.

teantur omnes timentes Deum: *Non nobis Domine, nõ nobis, sed nomini tui da gloriam propter benignitatem & propter fidem tuam.*

Pfalm. 115. 1.

Veniamus ad modum quo proditoribus occurrit Deus, & hîc etiam vnicam Dei manum clariùs perspiciemus.

Quô modô confundit ipsos Deus?

Iaculis (inquit propheta) ipsos adoritur, & repentinâ sagitta erunt plagæ eorum; duplicem ijs verbis proponens

Pfalm. 64. v. 8.

nens modum, quo Deus impiorum ruinam perficit, prudentiæ ipsorum in excogitandis laqueis respondẽtem, ipsiq; iustissimè insultantem. Quid enim? Num impij *concilium* cęperunt de condendis laqueis? num *deliberati* erant in componendâ; num *cauti in malitiâ prosequendâ*? num *laqueos abscondebant*, ne possent detegi? num ipsos *multiplicabant*; vt vel *aliquo* saltem prævalerent? Et in hoc carnalis prudentia præcipuè sibi adulabatur? hæc causa *insolentiæ, et confidentiæ in malo*? Ecce *subitò* eos adoritur Deus ad maturam deliberationem confundendã; *eodẽ die peribunt cogitationes eorũ*: Vt qui tantũ insumebant tẽporis in excogitãdis periculis contra alios, illis nullum cõcedatur spacium quo suę securitati consulant, quia dextra Domini illos *subitò* apprehendet. Psalm. 146. 4.

SVBITANEIS igitur Judicijs impios Deus opprimit. Sic Babylonẽ subitò subvertit Deus. Sic *Babylonicam meretricem vel vnâ horâ se perditurum Deus minatur, sicut lapidem molarem projectũ in mare profũdũ.* Sic impios *subitò in Gehennã descensuros* pronunciat. *Sect. 3. Impiorum destructio subita.* Esay. 47. Revel. 18. Iob. 21. 15.

Justissima omninò divinæ vindictæ dispositio; vt qui *repentino impetu* sanctos eius adoriuntur: *inexpectatis sagittis* meritó confodiantur. Et aptissima certé ratio coripiendi impios, vt *affectionem suam* contra illos declaret, & *decretum Dei* in ipsorum interitu perficiatur. Etenim, vt *filios ex amore*, & *fidelitate* castigat deus; *ita impios è contrà, furore* aggreditur et æstu iręsuæ, ideoq; vt suos amore præmonendo ad virgam præparat, quò aut ipsam *devitent* aut *sibi sanctificẽt*: ita è contra in impios subitó irruit; vt nec virgam dimoueant, nec ipsius onus ferant. Atq; cum impijs æternos cruciatus Hebr 12. Psa. 2. 5.

in temporalibus pœnis, oppignorare soleat Deus: ideò subitis plagis eos adoritur; Quibus ineexpectatò obruti, *consilio* simùl et *consolatione* privantur; & desperatione exinde miserè absorpti, *tremendâ futuræ vindictæ expectatione* iustissimè cruciãtur. Accedit hûc confusio impiorum prudentiæ, quæ subitis his plagis mirificè perficitur. Nec minùs pij etiam hinc prudẽtiã discunt, ne Deum vt impij tentantes si militer affligantur: cum *omnia omnibus quoad externa sint similia*: et tamen in hoc ipso non parùm solatij capiant; quòd etiam illic discrimen faciet miseri cors Deus *inter Israelem, & Ægyptum*, vbi omnia vtrisq; sic videantur similia.

Eccles. 9. 1.

Agnoscamus itaq; *peculiarem manum Dei* in suppliciis impiorum; & vel *digitum Dei*, *brachio carnis* præferamus. *Confidentiam in peccatis* prorsus reijciamus, né *subitis iudicijs* confundamur, et securitate inebriati *mali diem à nobis non repellamus, vt sedem violentiæ insolentiùs admoveamus*; ne repentina destructio nos nec opinantes opprimat. En *Ieroboamum* subitô *percussum* dum ad percutiendum manum extendit. *En sacrilegas Belshazzeris epulas tremendo Dei digito, subitò conclusas & confusas.*

Amos 6. 3. 1. Reg 13. Dan. 5.

Certè quamvis subita vindicta nos in hac vita non apprehenderit; si tamen *dsei Iudicij* eriò recordaremur vbi vt omnes necessario apparere nos oportet: ita quãdó sit apparendum nec horam, nec momentum sciamus: statueremus profectò per omnes horas vigilare, ne Dominus, cum venerit nos imparatos deprehẽdat.

Atq; cum *hora mortis*, vt nobis omninó est *incerta*; ita *imparatis* maximum horrorem, & distractionem necessariò sit allatura; nec *differamus pœnitentiam* ad mor-

mortem ne ipsa sit mortifera, neq, de *subitâ morte*, aut alios, aut nos ipsos siniſtrè *iudicemus*, si mortificata vita tempestivè præcesserit. Optandum potiùs si Deo visũ fuerit, *Ivt videamus plagam priusquam venerit*, *Vt sic timentes virgam a malo recedamus*, & sublato ligno ignis extinguatur. Certè, vt *confidentia in peccato quamq; afflictionem reddit subitam*: ita *peccati timor, nos ad virgam præparans, vt omnino nobis non sit subita quomodocũq; acciderit, efficit*. Prou. 22. 3. Prov. 14.

Jmpijs autèm non sic contingit; Confidentia ipsorum in peccatis, securos facit, et subitam destructionem securitas inducit. Sic prudentiam eorum in deliberando confundit Deus: & inopinatis sagittis eorum matura concilia dissipat.

Sed hactenùs non stat malum, gradus est. Etenim quamvis afflictio sit subita, & sic imparatos inveniet, lenior tamen esse potest, & perpessu facilior, vt sic pœnitentiæ locum moderatione suâ concedat. Præripit igitur spiritus hanc spem, quandó addit. *sagittâ repentinâ fore plagam eorum*: Jis verbis significans supplicium impiorum vt impetu repentinum, ita exitu mortiferũ ipsis futurum. Vt licet alijs peccatoribns pœnitentiæ tempus concedat Deus, proditorum tamen suppliciũ nequaquam differet: licet alios *ita castiget vt morti nõ tradat*, proditionem tamẽ mortiferâ sagittâ percutit: aliorum mors licèt fuerit ordinaria, proditores tamen inviſitatâ plagâ, & horrenda percutientur: quãvis multa iacula in pharetrâ Domini sint, vel tamen vna ad ipsorum internecionem sufficiet, vt nec alios contra illos emittere opus habeat Deus, & ipsis omnis aut evadẽdi quia mortifera, aut emendandi spes, quia subitanea, penitùs præripiatur. Pſ. 18.

Sect. 4. Proditores lethali & veloci sagittâ Deus percutit. Malac. 3. 5. Zach. 5. Psal. 11.

Proditorum igitur vt subita, sic velox, & læthalis, imò stupenda confusio. Sic *festinantissimum se testem cõtra Impios* profitetur Deus: Sic *exec:ationes eius volumine volante* emittuntur. Sic, vt subitò evolat sagitta, & citò transfigit: ità Impiorũ plagæ & subitæ, & mortiferæ. Tales contra impios plagas præparat Deus. *Super Impios*, (inquit Spiritus) *depluet prunas, ignem, & sulphur, & ipse turbo portio calicis eorũ futura est.* Omnia subitanea, & horrenda iacula; citò penetrantia, vbi semel impegerint, & quæ morte non invsitatâ peccatores auferunt. Sic Rebelles illos *Corachum Dathanem* & *Abirum* nouo mortis genere prosequitur Deus, ipsosq; in terræ visceribus vivos sepelit, qui ordinationi diuinæ in terris restiterunt. Sic *Absaloni* rebelli occurrit Deus, & inusitato supplicij genere horrendam illius inobedientiam retaliat. Capellitium eius, quæ corona erat superbiæ, ipsi in capistrum convertens; quò subitò apprehensus, intra cœlum & terrã suspenditur, ac si neutro dignus haberetur, & citò cõfoditur à Fratre in malo. Sic multiplicem in vno supplicio mortẽ sentit, qui rebellione sua varia funera Patri, & Regi, Ecclesiæ, & Reipub: sceleratissimè præparabat. Sic Proditoribus extraordinaria supplicia posuerunt leges Gẽtium: sic invsitato supplicij genere proditores lege nostrâ plectuntur.

Num. 16. 2. Sam. 18.

5. Sect. Modus puniendi proditores apud Anglos.

Siquidem cum legis æquitate iustissimè convicti fuerint, & condemnati: tum primò à *Iudicij sede ad supplicij locum trahuntur*, vtpote non ampliùs digni terræ faciem, ex qua facti, conculcare. Deinde vt in naturâ retrogradi, ita *ad caudam equi retrorsùm trahuntur.* Neq; id solùm, *sed capite etiam ad terram demisso*: vt sic aëre

aëre communi vlteriùs indigni habeantur, qui regnum sua quasi vita priuare conabantur. Hinc etiam *strangulantur suspensi intrà cælum & terrã*, ac si vtroq; se meritò priuassent, & vt omnium spectaculo & detestationi meliùs exponantur. Tùm *vivis discissis, genitalia ipsis amputantur & in ignem conjecta*, quo indignè geniti arguantur, nec posteritatem digni post se relinquere. *Interna ipsorum viscera igni committuntur*; qui tã horrendam proditionem interno pectore cõceperant; & *caput dissectum, quod tantum scelus excogitârat, affigitur pilæ, & in summitate portæ erigitur*; vt memoria proditorum sit posteritati abominanda. *Deniq; corpus ipsorum in quatuor partes iustè dissecatur*, qui sic Regẽ à Regno diuellere, ipsumq; Reipublicę corpus dilacerare, tàm pernicioſè intenderant. *Partes q; illorum sic diuisæ, nõ sepulturâ honestantur*, quia Florentissimæ Reipub: intempestivum sepulchrum præparabant: *sed in aërem attolluntur* ad hominum detestationem, vtq; *volatilibus cœli in prædam* cedant; qui humanum sanguinem tàm avidè sitiebant.

Sic Æquissima lex nostra proditoribus statuit: vt invsitata proditio supplicijs non vulgaribus retalietur; vt illis non concedatur locus misericordiæ: qui malitiæ, nec modum nec finem nouerunt: & sic iuxtà legem præcipua sceleris capita condigno supplicio sunt affecta.

Iustissima profecto divinæ iustitiæ administratio', vt vel vnâ Dei plagâ penitus obruantur, qui iniquitates contra sanctos accumulare non desistunt. Sic *providentiam suam* contra impios iustificat Deus, dum ipsis *iuxta mensuram* suam iustissimè dispensat: Sic *Iu-*

ditij

dicÿ ſeveritate ſecuritati Regum proſpicit: & *mundum* per hæc ſupplicia *ſalutari terrore* inſtruit.

Exaltetur itaq; Deus in Judicijs ſuis, qui impiorum malitiam ſic meritò compenſat. Confundantur impij inconatibus ſuis, cum confertam ipſis menſuram reponet Deus; & conquieſcant pij in ſalutari Dei, dum inimicorum, ipſorumq; malitiæ exitum aliquandò conſpicient. *Ecce Inimicos quos iam videtis, ultrà non videbitis.* Sic Populum Dei *Moſes* conſolatur. *Vidi improbum magnâ vi erumpentem, & ſeſe explicantem tanquã arbor indigena virens: Deindè præteryit: & ecce non erat amplius; quæſivi eum, ſed non inventus eſt.*

Exod. 14. Pſ. 37. v. 35. 37

Certè etſi malitiæ ipſorum non erit finis: quin vno capite truncato, aliud ſuccreſcet: confidamus tamèn in Deo cuius manus non abbreviatur. *qui omnes inimicos ponet ſcabellum pedum ſuorum* quod *ſi Impius in cordè ſuo dicat non eſt Deus*; & *quià Iudicia Dei abſunt à conſpectu eius, ideò quicunq; ſunt hoſtes eius, in eos favillâ tncendium facit*, non conſternentur tamen filij Dei: ſed Dominum ardentiſſimis votis in auxiliũ provocent. Certè evigilabit Deus quaſi muſto recreatus, & cauſam ſuam ità contra impios aget; vt quamvis in profundo conſiliorum ſibi ipſis adblandiantur, *Quod nemo* videt: nunquàm detegentur: Excitabitur ecce lingua proditorum ad ipſos prodendos, & torturam ſuam à ſeipſis experientur: ſic enim ſequitur.

Pſalm. 112. 2. Pſ. 14. Pſalm. 10. 5.

Sect. 6. *Deus Proprijs telis proditores confodit.*

Fecerint q. vt ipſa linguâ ſuâ in ſeipſos impingant. 1. ſuo ſe gladio iugularint, & ſibi ipſis creauerint malum. *Cisternam fovit, & excavavit eam, deiecit eò ſe in foueâ operaturus opus ſuum. Redibit labor eius in caput eius, & ſuper verticem eius iniuria eius deſcenſura eſt.*

Pſalm. 7. 16. 17

De.

Demersæ sunt gentes in foveam quam fecerunt adrete quod absconderant, captus est pes earum. Qui fovit fo-veam incidit in eam, & qui devoluit lapidem in ipsum revertetur. Sic iustus ex angustia liberatur, & deuenit improbus in locum eius. Sic convertit Jehova Hamanis patibulum in proprium ipsius suspendium: Sic *Propriis gladijs Midianitæ confodiuntur*: Sic gladio suo *Goliathum detruncat*: Sic *Amatores Bestiæ* ipsam desolabuntur, dum *ad Armageddon confluxerint ad Ecclesiam Dei evertendam*: Ecce *confundentur in monte Evangelij*, et prudentia ipsorum ipsis in ruinam cedet. Sic *impios in astutia sua corripit Deus*, dum *vanitatem concipiunt, & pariunt mendacium. Sic notum se facit Iehova Iudicio quod exercuit quum suo ipsius facto illaqueatus est improbus. Rem summè meditandam?* Sic Judicia sua contra impios iustificat, dum ipsos suppliciorũ suorum artifices facit. Sic piorum liberationem ipsis gratam magis & salutarem efficit, dum impios illius ministros vel invitos facit. Sic Atheismum impiorum iustissimè convincit, dum, qui cæli terræq; Dominium inaniter iactitant, ne vel *linguæ suæ dominium* ipsis hâc vindictæ ratione concedit. Sic in quo peccant homines, in eodem puniuntur, & in potentia sua Deus exaltatur.

Prov 26.27. Eccles. 10.8. Prov. 26. 28. Hest. 7.9. Iud. 7.22. 1. Sam. 17. Revel. 18 21. Revel. 16. 1 Cor 3.18. Psalm 9.17. Psalm. 12.

Sic proditores nostri suo laqueo correpti. Quid enim primam lucem detegendæ *Facis* conspirationis dedit? Annon colloquium inter *Hallum & Garnettum*? dum in Arce seorsim tenerentur, & nihil adhuc contra se vt faterentur, possent adigi? Et quis quæso *literas misit* quæ scelus obscurè detegerent? Annon proditorum vnus? Quis proditionem apertè detegebat? Annon *Fau-*

xus proditorum peſſimus? Qui mutuò ſe accuſabant? Nonne proditores? Quis proditionis huius detectionē in ruinam toti Judaitarum ſentinæ ceſſuram prædixit? Certè Garnettus Judaitarum provincialis. Sic vera pronunciat pſeudo-propheta Caiphas. Sic mendatiorum artifex vera Garnettus proferat. Ex ore tuo ſic Judicatus es ò ſerve nequam. Sed quò modò? Audite proditores et contremiſcite. *Quoniam ſanguinem ſanctorum & prophetarum effuderunt: & ſanguinem eis dediſti ad bibendum: digni enim ſunt.* Sic Patres veſtros adiudicat Spiritus. Et ſic vos filios nuper iudicavit. Quoniam *puluere ſulphureo Dei vnctum & pacificos terræ*, ſubitò abſumere moliebamini, *ideò eodem vos pulvere*, etiam cum mortiferum illud telum contra pios præparabatis, iuſtiſſimè ipſi correpti eſtis, & in divinæ vindictæ ſpectaculum poſteritati relicti.

Revel. 16.

Sic perditio tua a te ipſa proditio. *Sic gladium eduxerunt improbi & adduxerunt arcum ſuum ad deijciendū pauperem & egentem, ad mactandum rectos Viâ: at gladius eorum intrabit in cor eorum, & arcus eorum confringetur.*

Pſ. 37. v. 14. 15

Revereamur itaq; potentiam Dei, qui impiorū gladios in propria iugula conuertit, ipſiuſq; providentiam & iuſtitiam magnificemus, qui ex impiorum malitia ſibi gloriam, ſuis ſalutem, machinatoribus perniciē prudentiſſimè excitat, & Atheiſmo, ſilentium in hoc perpetuò imponit, quod impios ſuâ prudentiâ tam *mirificè ineſcat.*

Intueamur peccati *Fraudem: Stoliditatem: Exitum* ignominioſum. Aſcribatur ipſius *fraudi*, quod membra nequitiæ in ſupplicij inſtrumenta convertat: Et *poſſide-*

re

re hinc dicamus vasa in sanctitate, ne in perniciem nostram iustissimè armentur.

Stoliditati peccati imputemus quod seipsum prodit, & peccati pallia quibus se tegere cupit, vel maximè declinemus, cum in ignominiæ pallia necessariò sint cessura. Si *authoritate* astruere, aut *pecuniâ* redimere, si *ingenio* possimus *celare* peccatum, aut impudentiâ denegare, si *consuetudine* defendere, aut *exemplo* palliare: huiusmodi nequitiæ pallijs nequaquàm decipiamur; *cũ nihil sit tam occultum quod aliquandò non revelabitur*, & quò magis peccata cęlavimus, eò magis infamiam in tempore vindictæ metemus: adeò vel ipsa peccati pallia non solùm detrahentur, sed vel peccati convincẽ di instrumenta erunt stupenda, quò maturâ vindictâ tandẽ opprimamur. Hic *luctuosus* peccati *exitus*, quod sibimet ipsi interitum gignit, & prudentia ipsius in cõfusionem vel maximè cedat. Luc. 8. 17.

Quo magis securè nos geramus in impiorum susurris, & profundâ ipsorum malitiâ minús distrahamur. nec de vindictâ nimis solliciti, nec de cõditione nostra desperabundi, cum occultatio sceleris ipsius patefaciẽdi viam aperiat: & proditio proditione iustissimè compẽsabitur. *Certè* vt aperiet oculos nostros Deus, quo periculũ discernamus, ita & linguas etiam impiorum reserabit, vt sic vtrinq; edocti malum deviteмus. Prov. 22. 2.

Tantũ, nõ *obstinatè claudamus oculos securitate* aut *præsũptione*, ne iustò nos prodamus inimicorum fraudi. *Clemẽtia nos stolida* nõ obcæcet, aut *carnalis prudẽtia*, falcinet vt aut *vtsa* non *videnda* putemus, aut saltẽ negligenda; ne quod videre nolumus, ferre cogamur, dum impiorum malitiæ *opportunitatem* damus. *Licen-*

tia vitæ ne tollat animos, vt impiorum machinationes *dignoscere non audeamus*, ne conscientia exanimetur illarum cognitione, & tremendâ ipsarum expectatione iustissimè afficiatur. Certè *si viam Deo commiserimus & sedulò faciamus bonum, non suspiciosi illius quod nescimus: nec illius quod novimus securi; de nullo timentes, etsi vires nostras superet, sed in Deum coniecti qui a mortuis excitat: si robur non concedamus* hijs venificarum filijs nosq; *ipsis non prodamus, metuendo potentiam, & sortem inter ipsos coniiciendo, vt idem sit marsupium nobis omnibus: Ecce malum venando impellit viros violentia varijs impulsionibus*: et nobis vel inspectantibus à seipsis confundentur.

Psalm 37. 5.

1. Pro. 14.
Psalm. 104. 12.

O si attenderent ista proditores & tandem saperent, ô si addiscerent hinc, *malum cõtrà Regem ne cogitare quidèm, nedùm in conclavibus cubilium suorum ipsi male-*
Eccl. 10. 17. 18. *dicere, nihil contrà vnctum Dei licet in profundo perperàm machinari*. Siquidem non modo *avis cælorum proferet vocem illam, & ales indicabit verbum*, sed vel *avis in sinu* nequitiam dereget, nec requiem concedet linguæ quamvis duplici septo munitæ, donec levarit cõscientiam & Dominum iustificarit.

Quod si qui sordescant, sordescent adhuc, & quantũvis à se confusi, etiamnùm insolescant: si adhuc machinari pergant vtcunq; gladijs suis sæpius antehac cõfossi. Sciamus ipsos internecionis suæ mensuram expleturos, licet nos non percutiamus amplius, & Deum in hoc gloriam sibi soli reseruaturum, quod nobis vel invi-
Psalm. 113. 1. tis, inimicos in prædam dederit. *Non nobis igitur, O Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam propter benignitatem, & propter fidem tuam*. Custodi Israelẽ tu-

tuum, dormiente vigile, & brachio tuo victoriam contra inimicos persequere, vt laudes te in Sione iugiter expectent, & convertantur retrorsum osores tui, & accelerent fugam quisquis viderit eos.

Sic enim sequitur:

Vagi se in fugam dabunt quisquis viderit eos. Jn quibus verbis Propheta singularem effectum nobis explicat, quem tremenda Dei Judicia in proditores inflicta soleant in impijs producere, scilicet vt illorum horrore non modò concutiantur, qui antea in peccatis securè stertebant: sed & peccata etiam sua in aliorum speculo suppliciorum percipientes, præ eiusmodi virgæ metu in fugam se trepidissimè conijciant, si modò illius plagas evitare poterunt.

Judicia itaq; Dei timorem incutiunt, & carnalem impiorum securitatem, societatesq. dissipāt, & confundūt. Sic vbi *Princeps exercitus Israelis* execrandæ illius gentis partem iuxtà mandatum Dei, meritissimo supplicio affecisset. Testatur Spiritus cor reliquorum liquefactum esse, *nec ampliùs fuisse in eis animum metu filiorum Israelis.* Sic cum Athleta Philistæorum à Davide Domini pugile fuerat consternatus: *Spiritus perhibet aufugisse Philistæos, & dispersos fuisse.* Sic *Babylone subversâ aufugiant amatores eius, & à longè prospicientes ipsius ruinam deflent.* Talis Babylonicæ, talis Ægyptiacæ cladis exitus. Jmò quod observatu dignius, quò sępius occurrit; cum Judicia Dei peccatores corripuerunt, adeò alios affecerunt non absimilis nequitię conscios, vt, hoc vel in illo Jndice, *fugâ*, vel *rubore*, *misericordiâ*, vel *querelâ*, *iustificādo*, aut *murmure*, stupendâ ratione seipsos prodiderunt: & similibus Judicijs,

Sect. 7. Judicia Dei Impios exanimant & in fugam vertunt sceleris participes.

Ios. 5. 1.

1. Sam. 15. 51.

Revel. 18. 17.

Eze. 31.

Esay. 13

iustissimè sunt expositi. Sic dissipabantur proditorum combinationes, vbi semèl rebellionis capita sunt confracta: sic mutuò seipsos ad supplicium protrudebant.

Justissima certè, & prudentissima diuinæ vindictæ contra impios administratio, vt qui diuina vincula cõculcant, & ipsius lora distrumpunt, qui à se proijciunt ipsius densos funes; Impietatum suarum laqueis sic inescabuntur, vt præ horrore supplicij, *sese* mutuò expauescant, & à se invicem aufugiant ne vindicta augeatur: vt *societate qui abutantur* contra Deum, & Vnctũ eius, illius solatio, cum maximè opus est, iustissimè depriuentur, vt *inanis confidentia, in desperatum timorem exeat*, & timore suo se proditores prodant: vt fugâ se prodentes faciliùs supprimantur qui societatem Sãctorum dissoluere cupiebant. Sic Potentia splendet Dei in cœtu impiorum distrumpendo: sic mala conscientia coram Deo consistere non audet; sic Impietas *suipsius carnifex* evadit: & supplicijs diuinis mundus convincitur.

Potentem igitur agnoscamus Deũ, quùm omni hominum prudentię viribusq; solus sit superior, & impotentem malitiam quæ seipsam destruit: Judicia Dei seriò contemplemur & in illorum speculo statum nostrum examinemus. Si ad illa horrescimus, malæ tribuendum Conscientiæ; si in illis confidamus; de nobis nõ desperemus. Prudentiam Dei hic seriò obseruemus, qui vt ex supplicijs suis metum producit: ita hoc metu impios ad supplicium protrudit; et si proditionis participes velimus discernere, ex consternato animo vel facilè dignoscemus: Certe si proditione detectâ adhùc metuemus, & aduersarijs dabimus occasionem confi-

den-

dentiæ. Et nos metu nostro meritò ipsis prodemus. *O nos miserrimos* si liberatio nostra nobis animos sustulit, Inimicis dederit. Quodsi vt Justitia Dei illorum corda obduravit, ita misericordia eius nostra iam tãdẽ flexerit in obsequium Dei, & iustiorem metus causam adversarijs dabimus: & liberationem hanc nobis vt *Vallẽ Achorus* experiemur. *O nos verè beatos* si diuinæ bonitatis oportunitatem sic possimus excipere, vt Deum in posterum nobis devinciamus. Certè si Deus nobiscũ fuerit: *quamvis cum morte fœdus pepigerint impij, & cum sepulchro cautum egerint, quamuis* tenebrarũ Princeps cum omni suo satellitio desperatissimè cõspiraret contra Gregem Christi, tamèn *cum disponet Deus Iudicium ad lineam & Iustitiam ad perpendiculam, secernet q; grando receptum fallaciæ, fœdus cum morte abolebitur; & cautio impiorum cum sepulchro non stabit.* Esa.28.15.16. Nõ igitur ad peccatum animet quod *multi per spacioſam viam securè incedunt*, neq; consilium sequamur, vt *sortem inter multos conijciamus*. Math.7 Siquidem, vt multitudo peccantium peccatum auget, ita ipsius etiam supplicium accelerat; dum tot instrumenta vindictæ excitat, quot in peccati turpitudine participes coniunxit. Si ad societatem nati in illa solatiũ cupiamus; *vniamur Deo, obedientiâ fidei*; sit *delectatio nostra in sanctis*, charitate nos invicem supportando. Sic cum impij fugiant & miserè dissipentur: *exultabit iustus cum vindictam intuetur*: & quò impios in malitia suâ magis correptos distractosq; videmus: eò magis ipsi combinabimur; & arctius constringemur: vt vnâ ascendamus ad Domũ Domini; ad misericordiam ipsius in liberatione nostra celebrandam. Sic cum *beneficium in me contuleris* 1.Proverb. Psalm.16.2. Psalm.58.9.

in-

Psalm.141. *inquit Propheta noster, me cingent Iusti*, qui *ante è regione plagæ meæ subsistebant*: Imo cum Jehova reducet multitudinem captiuorũ, hâc ratione Ecclesiæ gratiolè addetur. Tum dicit Spiritus, *prehendent decem homines*

Zach.8. *ex omnibus linguis gentium, prehendent inquam alam viri Iehudæ, dicendo, ituri sumus vobiscum quia audimus (imò videmus) Deum esse vobiscum*: Jtà vt confusio inimicorum ipsorum colluviem dissipat, & cætum confũdit. Jta Ecclesię liberatio coagmentationẽ sanctorum promovebit, vt non de præsentibus solùm beneficij, sacrificium laudis persoluat: sed hoc ipso præparetur ad futuram illam liberationem, quando sponso suo advnita iugè sacrificium perpetuò offerat in Regno cœlorum. Atq; hactenus de liberatione ipsâ. Sequitur vlus.

Vsus

Vsus Liberationis.

Quicunq; autem homines reverentur; nuntiabunt opus Dei, & factum eius intelligendum proponent.

Lætabitur iustus in Iehova, & recipiet se ad eum, de- Vers. 9. 10.
niq; gloriabuntur omnes recti animo.

AVdivimus hactenùs quid inimici contra nos sunt machinati, & quid deinde Deus noster pro nobis fecerit Inimicis in foveam coniectis, vt pios ex ipsorum manu liberarit. Cum itaq; eâ nos conditione liberat Deus *vt ipsum glorificemus*, ostendit his duobus versibus propheta quomodó glorificemus Deum, & sacrificium laudis ipsi ritè præstemus.

GLORIFICANDVS igitur Deus pro beneficijs suis, ipsiq; gratitudinis tributum iure persoluendum: Sic Deus *requirit*, Deuter 8.10. sic sancti *præstiterunt*: sic *dignus est Deus qui super omnem benedictionem, & laudem exaltatur*. Nehem 9.5. *sic sanctos decet & rectos laudatio*. Psal. 33.1. *sic Deo quod suum est piè tribuimus* Psal. 5.23. dum quam *alteri dari non vult, gloriam ipsi* hac ratione *ascribimus*: sic nobis beneficia Dei prudēter *sanctificamus*: eaq; æternorum nobis beneficiorum pignora statuimus. Sic sancti *in cælis conversationē* habent, dum novum canticum cum cælitibus canunt: Sic

Sect. 3. Partis Sacrificium, quale Deo per solvendum.

nequitiæ os obdetur Psal. 107. 42. cum aperiuntur piorum ora in laudes Dei; sic *sublatis Mysis manibus* Amelek confunditur: & gratitudine piorum inimici in perpetuum *obruentur*.

Psalm. 107. 43. Num. v. 8. *Quotus quisq; sapiens est qui obseruet ista, vt animaduertantur benignitates Iehouæ; ô si homines celebrent apud Iehovam benignitatem eius, & opera mirabilia eius apud filios hominum!* Si apud animum nostrum bonitatem Dei recoleremus! Si ipsum prædicaremus in cõgregatione magna! Si redempti Iehouæ ipsum prædicarent, quos è tantis angustijs stupendè redemerit!

Psalm. 106 12. Certè si Deum tribuentem velimus experiri ipsi tribuenti debemus retribuere, si Deum abeuntem cupiamus retinere, gratitudinis vinculis facile constringemus. Nunquam sine Deo est, qui est gratus Deo; ingratus Deum excludit, vtcunq; eius beneficijs repleatur. Sic gratitudine pauper diues efficitur, diues ingratitudine pauperrimus redditur. Non res est, sed mens quę regnum obtinet, & mens precipuè gratitudine regnat.

Sed quo modó sacrificium gratitudinis præparandum?

Exponit propheta.

Quicunq; autem homines reverentur, &c.

Scilicet (Deum iudicia exercentem) his verbis indicans Gratitudinis nostræ hoc esse principium, vt intueamur opera Dei, ipsaq; qua sunt digna reverentia prosequamur.

Sect. 2. Intueri opera Domini initiũ gratitudinis. Psalm. 46. INTVERI igitur oportet opera Dei: ipsorumq; reverenti meditatione oculos animi pascere. sic alibi hortatur spiritus, *Agite, videte opera Domini: venite & videte, quid Deus fecit pro anima mea.* Et certè merito.

Mag;

Magna enim sunt opera Dei, & exposita omnibus qui delectantur eis. Digna sunt illius opera vt ipsa intueamur; & vt misericordia Dei super omnia opera: Jta opera misericordiæ conspectu dignissima. His detinẽtur oculi nostri ne videant vanitatẽ. Jn his indignitatẽ nostram genuinè conspicimus, vt ex inanitione nostrâ Deus verè glorificetur. Hijs convincuntur Athei qui dicunt Deum nos deservisse: his pij confirmantur, qui de auxilio Dei dubitabant. Sic *reverenter intueri* opera Domini præcipuum adminiculum gratitudinis. *Quũ viderint incessus tuos O Deus, Incessus Dei fortis mei, Regis mei qui est in sanctuario; procedebant cantores, post fidicines inter puellas* tympana pulsantes: Sic beneficia Dei dum seriò intuemur; confirmatur fides in salutari Dei. *Videntes multi reverebuntur & confident in Iehova*, vt licet illi beatiores qui non videntes credunt, at *videndo tamen Thomas* non parum *fide* confirmatur: Sic apertus *oculus* videre quę Deus nobis præstitit: *os* etiam aperit ad ea alias prædicanda. *Videant recti & lętentur addit Davidis noster, ac si diceret non posse affici animum vero pro bonitate Dei* gaudio, nisi oculi ministerio ad ipsum deriuetur magnitudo beneficij. Sic mutuó sibi opitulantur membra; & oculus ori & cordi in officio gratitudinis succurrit, sed non quivis oculus, est enim *oculus Dei rectus* qui beneficium tantũ intuetur; et dum ipso excæcatur Deum suo tributo & seipsum vsu beneficij privat. Talis *ingrati*, talis *invidi* oculus. Est *oculus caligans* qui alij pro alio benedicit, & Dei loco homini, aut sibi ipsi, aut reti suo sacrificat: Est *oculus lævus*, qui beneficia tantum *sinistra* intuetur, & dum istis non satiatur adhuc exclamat. *da, da, quis bonũ*

Psalm. 66.

Psalm. 145.

Psa. 68. 25. 26.

Psalm. 40. 9

Ioh. 20. 25

Psalm. 107. 42

Oculus rectus.

Oculus caligans

Abac. 1. 15.

Oculus lævus.

Ps. 46. Genes. 27. *ostendet nobis quid mihi primogenitura ista quum fame enecor*, ac si nulla essent bona præter huius vitæ bona, ac si spiritualia omnia nobis essent nulla, quod carnali hoc adipe nequaquam saginemur. Talis *Esaui*, tales *carnalium professorum* oculi, tales *hypocritarum*. *Est oculus lippus*, propè aspiciens sed non à longè, qui beneficij magnitudinem dum non discernit, condignas gratias metiri nescit. Est etiam oculus *nequam & malitiosus*, qui alijs beneficij communicationem invidet. Talis *prodigi fratris*, *Tales Pharisæorum* oculi. Deniq; est *oculus sublimis & superciliosus*, qui beneficia Domini dum in imaginariæ perfectionis suæ speculo intuetur, dignè sibi collata æstimat, quæ ex diuina tantum proveniunt misericordia, seq; in partem diuinæ gloriæ blasphemè intrudit. Tales *Papistarum*, tales *Catharistarum* oculi: Hos *natura* & *philautia* oculos ad contemplanda Dei opera suppeditat. Hijsce oculis mundus divinam bonitatem aspicit, & aspiciendo cæcutit. Alios hic à nobis oculos requirit spiritus. nimirum *reverentes, aquilinos, collyrio inunctos*. Qui Maiestatē Dei in beneficijs eius contemplantur, & in speculo diuinæ magnificentiæ, suam indignitatem contuentes; humiliantur meritò sub potēti manu Dei, Ipsiq; omnem bonitatis suæ gloriam libentissimè ascribunt. Tales *Centurionis*; *Tales Danielis oculi*, *Domine non sum dignus, &c*. Qui in indignitate sua gratuitam Dei bonitatem percipientes, verâ perfunduntur lętitiâ, & de futuro fiduciâ confirmati, ad maiora beneficia pręparantur. Talis *Nathanaelis verè Israelitæ*, *Talis Davidis oculus*. Qui in præsenti beneficio cum *procùl possint cernere* nō obscurè cœlum in terris apprehendunt, & animū ad cœle-

2. Pet. 19. oculus lippus. oculus nequam. Mat. 20. 15. Psalm 112. Mat. 23. oculus sublimis. Dan. 9. 5. Mat. 8. Ioh. 1. 50. 2. Pet 1. 8.

lestia mirificè attollunt. Tales *Iobi*, Tales *Stephani oculi*. Sic nos oportet beneficia Dei intueri. Sic non invtiles erimus operum Dei spectatores. Iob.19. Act.7.

Examinemus itaq; nosmetipsos quomodò beneficia Dei sumus contemplati. Certè vt opera nobis Deus spectanda proponit, ita oculos eriam dedit quibus ipsa contueamur. Quod si *oculus simplex* fuerit *et iam totum corpus lucidum erit*, & si rectè intueri possimus beneficia Dei, sacrificium laudis ritè persoluemus. Agnoscamus igitur naturâ nos esse *bis cæcos* vt nec possumus videre, quæ nobis sunt obvia, & illa nos videre præsumimus, quæ reverâ sunt contraria: Et naturam in contemplandis Dei operibus ducem non sequamur, ne si cæca cæcos ducat, ambo in foueam cadamus. Benedicamus Deo, qui *Davidis* clauo oculos nostros aperuerit, & à tenebris ad lucem nos clementissimè cõverterit, vt & beneficia eius intuendo prudenter discernamus, & *illuminatis oculis mentis nostræ sciamus quæ sit spes vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis*. Contemplemur itaq; beneficia Dei, vt gloriã nomini ipsius debitam reuerenter exhibeamus. Certè vt populus Dei tam diu in obsequio est retentus, quàm diu *vixerunt illi qui opera Domini viderant*: Jta beneficia Dei debitè contẽplando in officio nostro pulchrè continebimur. *Sic fideles in paruo maiorũ fruitione opportunè cumulabimur*, & mensuram perfectam iam tãdem assecuti illis coronabimur *quæ nec oculus vidit, nec auditit auris, nec in mentem hominis vnquam venerũt*. Hæc lucrantur pij contemplando Dei beneficia, & ipsorum intuitu Jmpij convincuntur. Matth.6.22. Ephes.1.18. Iudg.2. Matth.25. Cor.1.2.9

Etenim vt invisibilia Dei in operibus eius cernuntur,

vt evadant inexcusabiles, ità in hoc Justissima est con-
1.Rom.19.20. demnatio impiorũ, quod licet *corde dicant non esse De-*
Psalm.14.1. *um*, licet ipsum etiam ore denegent, in operibus tamen
ipsum deprehendent ipsiq; testimoniũ ferre cogentur.
Exod.8 *Hic est digitus Dei*. Ex ore itaq; tuo Judico te Athee,
qui eum in factis agnoscis, quem verbis denegas. Jgno-
rantiam posthac frustrà prætende. Frustrà te argue in
verbo, Deum non posse comprehendere, cum ipsum
in factis tàm expresse conspexeris. Cuius non aperuit
oculum tanta liberatio: cuius non tinnierunt aures ad
stupendam illam iustitiam, quæ proditores laqueis suis
tam potentèr constrinxerit? Tuneille qui olim in profũ-
do cordis susurrasti, cum laqueos contra pios malitiosè
Psal.64.4. occultabas; *Quod nullus videbit oculus*, imò ne vel *ocu-*
lus Dei? tibiq; adblãdiebare in impietate tua, quod *Do-*
Iob.22.14. *minus occultatur in nubibus & videre non potest, neq;*
Deus Iacobi vnquam respiciet? Adeoq; sperabas impu-
nè te evasurum, decipiendo vanum cor tuũ; *Quod Do-*
Zeph.1.12. *minus faciet neq; bonum neq; malum*? Considera insipi-
ens quod vnoquoq; mane Dominus in lucem edet ius
suum, vt quivis aspiciat oculus, & tum apparebit ocu-
lum Dei te observasse: *Quod tu clam fecisti, etiam ego*
2.Sam.12 (Dicit Dominus) *facturus sum corã sole* vt omnes *vi-*
deant, & te subsannent dicentes: Ecce hic est homo qui
Psal.52. *non proposuerit Deum robur suum, sed confidebat ampli-*
Esa.28. *tudini divitiarum suarum, qui fallaciam disposuit re-*
Iob.18.7. *ceptum suum & in mendacio se stultè abscondidit. En*
stultum aucupem reti suo implicatum, en impium consilio
suo iustè deiectũ. Nunc videbunt oculi quod antea no-
luisti credere. Quod *Iustorum curam habeat Deus, Im-*
pios autem anima eius detestatur: vt si malitiam posthac
tuam

tuam contra sanctos exercens, prioris tamen hoc solatio, *quod ignorãter fecisti*; quia clarè perspexisti, quod Dominus à suis adsit; ideoq; contrà hanc manifestam lucem conscientiam tuam convincentem, posthàc appareas contra cœlum obstinatè insurgere. Non exclamabis amplius, *Festinet, acceleret opus suum Deus vt videamus.* Quia vidisti in hac liberatione *Dei iustitiam, & misericordiam admirandam.* Quod si hæc te non flectet visio vt nobiscum in communi gaudio gaudeas, at *videbis tamen indignando miser, & dentibus tuis frendendo contabesces desiderium impiorum periturum est.* Si hæc te non emolliet visio, quin adhuc obdurabere, & pupillam oculi Dei perges infestare. Ecce videbis ad *confusionem*, quem *nũc in membris transfigis*, cum optares te montibus obrui quò ipsum non videas, & tamẽ nudus exponêre iustitiæ illius oculo, qui æternis cruciatibus meritò te confodiet.

1. Tim. 1. 13.

Esa. 5. 19.

Psa. 112.

Re. 1. 6.

O si nos ipsos per ista probaremus. Si contemplatio operum Dei cum Atheum convicerit, quia ipsum in illis tanquam Deum non glorificarit: Vtrum igitur Atheus plurimos professores iustè non sit condemnaturus, qui vix manum Dei in hoc operè ingenuè agnouerunt. Si stupenda hæc liberatio capitis, & membrorũ; *geminorũ Ecclesiæ & Reipublicæ*, eouſq; prævaluit apud obstinatissimos aduersarios, vti ipsos attonitos detinuerit in ipsa contemplãda, sicut *olim populus Israeliticus ad corpus Amasæ subsidit*: Si inimici nostri specialem Dei providentiam in confundendis his laqueis obstupuerint, eius; potentiam in liberatione nostrâ agnoscere sint coacti, si mentionẽ tam inauditi facinoris horruerint, ipsiq; extremâ detestatione pro tempore re-

2. Sam. 20. 12.

nuo-

nuntiarint; imò si aliorum inter ipsos oculos ita hoc o-
pere aperuit Deus, vt in impietatis huius speculo *my-*
sterium papismi deprehenderint, & sic vel *metu* (quod
Hest.8. olim simili occasione *Ethnici*) vel *conscientiâ*, veritati
agnitæ tandem cesserint, & papismo renuntiato nobil.
cum in vnitate fidei coalnerint: Certè exurgent cõtra
nos isti olim in iudicium: si vel *oblivione sepelire*, aut
depravare malitiâ, si *invidia diminuere*; aut *metu occul-*
tare, si *securitate negligere*, aut *prudentiâ suppremere*
magnam hanc Dei potentiam arguamur. Imò si in *ve-*
ritate non confirmabimur tam admirãdâ bonitate Dei.
Si hâc tandem nõ provocabimur ad *Antichristum de-*
testandum, quâ inimicorum corda sic ad Christum cõ-
versa fuerint: expectemus aduersarios beneficio libe-
rationis nostræ nos deprivaturos, illiusq; messem quam
nobis seuerit Deus, iustissimè percepturos.

Videamus igitur vt Atheum iustificemus in contẽ-
plandis Dei operibus, ne ipse nos præcedat in regno
cœlorum. Non occludantur oculi Deo benefacienti,
ne ipsius iudicijs inviti aperiantur. Qui signa divinæ
Psalm.74.9. præsentiæ, cum exposita erant, noluerunt amplecti, illi
signa non videbunt cum maximè vellent: et si beneficia
Dei præsentia nolimus apprehendere, si securitate ob-
dormiemus, dum benefaciendo invigilat Deus: ecce
iudicijs Dei meritò excitabimur, & non derelinquentẽ
nos Deum solum intuebimur, *sed suspensa erit vita*
Deut.28. *nobis præ angustiarum mole. Vnoquoq; mane dicemus, O si*
esset vespera, & vnaquaq; vespera, O si esset mane; præ
pavore cordis nostri quod pavebimus, & præ viso oculorũ
nostrorum quod videbimus. Ita quum *exaltatur Iehovæ*
Elay.26. *manus qui tum* non vident, *videbunt erubescentes Iehovæ*

væ ignem, qui hostes suos iustissimè devorabit. Jtaq; si Deum vltorem nolles intueri: ipsum mercedem tuam grato animo contemplare, si oculos Dei velles auertere à malo tuo: adverte oculos tuos ad bonum eius: Sic in ipsius bono videbis quid verè meruisti, ignominiam scilicet & faciei confusionem, vt teipsum exinanias coram Deo tuo, beneficentię eius gloriam Deo soli ascribendo: et si gloriam Deo ingenuè concesseris, ipsius bonum tibi quod non meruisti hac ratione continuabis, & quod meritus es malum longè removebis. Genes. 15.

Et quamvis ingratitudinem populi sui castiget Deus, licet ob beneficiorum contemptũ ita disponat vt *portio vna compluta sit, non sic item alia*, cõfide tamen in Deo tuo ipsiusq; bonitatem priscam recole, & discrimẽ profectò faciet Deus inter *Israelem & Ægyptum. Cadentibus ab altero latere tuo mille, & decies mille á dextra tua, ad te periculum non accedet*, tantùm oculis tuis intueberis, & retributionem impiorum videbis. Si admiranda sua opera super nos exaltet Deus, elevemus oculos cordis ad ipsa percipienda, vt in ipsis intuentes Dei nostri iustitiam & misericordiam aperiantur ora ad ipsa prædicanda. Certè si oculus obiectum efficaciter ad cor traduxerit, quo ipsum afficiat, ecce cor (pleno vasi simile quod continere nequit) ex abundanti apprehensione linguam informabit, quò stupenda Dei opera alijs deprędicet: sic *Andreas cum Saluatorem vidisset* reticere non potuit, quin *Simoni statim refert se Messiam vidisse*, vt ipse salutis simul esset particeps: Ita intentè si contemplemur misericordias Dei quæ in nos abundè in hac liberatione contulerit, aperientur profectò ora, vt alijs communicentur. *Venite & videte o-* Amos. 4. Ps. 92. Ioh. 1. 42.

pera Domini; Agite & videte quicunq; timetis Deum, vt enarrem quæ fecit animæ meæ, &c, Gustate & videte bonum esse Iehovam. Sic invitarunt alios sancti in partē bonitatis Dei, dū quæ sibi contulerit, ipsis fideliter enarrant. Atq; hoc ipsorum officium discribit propheta vbi addit. *Et declarabunt opus Dei*

Sect. 3. Piorum est opera Dei prædicare.

Officium medius-fidius Sanctis et dilectis Domini apprimè necessarium, vtpote quibus et *ora* data vt Deum prædicent: & per *gratiam aperta* Psal. 51. *vt ipsius laudes anuntient*: qui pretio sunt empti: Jdeoq; Deum tam corpore quam animâ debent glorificare; & *quibus si animus ebullit verbum bonum, lingua profectò et stilo erunt vt scriba pronus.* Sic *ius nostrum* ad beneficia Dei testificamur, vt qui dona Dei gratissimè non deprædicet, is ipsorum se *furem* necessario prodat: sic *confitemur ad salutem* charismata Dei: Sic commemoratione bonitatis Dei *fidem confirmamus*: sic *alios provocamus* ad simile officium, & in ipsorum conversione *salutem nostram confirmamus*: *sic beneficia Dei æternitati commendamus*, nosq; hac ratione æternitati præparamus. Huc spectabant sanctorum *Cantica, Altaria, Columnæ, solennitates Libri, Nomina liberis & locis* imposita. Omnia gratitudinis suæ in Deum monumenta, omnia opus Dei posteritati declarantia. Sic *mandauit* Deus ne operum ipsius obliuiscamur, & beneficiorum recordatione in officio contineamur. Sic *Exemplo præiuit* Deus, vt tutiùs imitemur: sic insecuti sancti, ne degeneres habeantur. sic opera sunt *dignissima*, vt omnibus innotescant, hac *conditione sunt exhibita*, hac ratione nobis *sanctificata*.

Psalm. 51. 15.

En liberationē suam *Davides* noster prædicat. *Iste pau-*

pauper invocavit, & Iehova exaudiuit, ac ab omnibus an Psa.34.
gustijs eius liberavit eum, vt quot quot intuentur eum & confluunt, vultus eorum non erubescant. Sic docebit re-
demptus defectores vias Domini, vt peccatores feliciter
ad Deum *convertantur. Sic lætabitur iustus cum viderit* Ps.58.
vltionem, & pedes suos lavabit in sanguine improbi, dicetq; *Vtiq; est fructus iusto, id est, vnumquemq; iustum*
manet retributio, & omnes inimicos nostros Deus confu-
det. Jmò ab experientia liberationis præsentis futurū Dei auxilium colliget, & ex eo finalem liberationem astruet. *Sic Paulus futuram* liberationem ex præsenti colligit dicens; *Et eripiet me* Dominus *ab omni opere ma-*
lo, & servabit me in regnum suum quod est in cælis, &
Deo gloriam hoc nomine retribuit. *Cui est* gloria *in sæ-* 2.Tim.4.17.
cula sæculorum Amen. Sic Deo providentiæ suæ gloriā tribuit. *Vtiq; est* Deus, *est Iudex in terris.* Atq; ita beneficia Dei piorum ora aperiunt.

Prædicemus itaq; bonitatem Dei, ipsiusq; nomen fratribus nostris declaremus, vt obturetur in perpetuum os impietatis, & extendantur manus Dei, vt nobis benefaciat. certè si nos tacuerimus, lapides loquentur, & vel impiorum ora nos olim condemnabunt, quæ opera Dei reticere non potuerunt. Sic de *liberatione Babylonica* testatur spiritus, quod vel *ipsi Ethnici* ipsam prædicabant, *deumq; pro populo suo fecisse magna fatebantur.* Vt nos olim iustissimè condemnent si parum in Psal.126.3.4.
oculis nostris appareat, quod nos ex Papistarum faucibus Deus liberavit. Sic agnoscebat *Darius opus Dei*, & Dan.6.
Danielis Deum *adorari iussit.* Et contra nos aliquando testimoniū feret, si Danielis Deum liberati deseremus. Sic *iustificauit Saulus Davidem liberatum & seipsum* 1.Sam.24.

persecutionis suæ iustè condemnauit; & nonne exsurget contra nos olim Saul in iudicium, si ab homine condẽnabuntur quos Deus liberauit, si quos in reti suo implicavit Deus, nos ipsos dimittemus? O quam solida consolatio hic excitatur pijs, quòd *Sapientia non solum a filijs suis, sed etiam ab inimicis iustificabitur*; Vel ipse *Saul Dauidis innocentiæ attestabitur*, & persequutores nostri integritatem nostram iustificabunt! O quã inexcusabiles hic redduntur impij, quali ipsos terrore conscientia discrutiat, qui sic obstinatè ipsius lumini resistunt, cum causam nostram Deo acceptam videant, cũ Deum exsurgere ad ipsam defendendam, tam piam tamen causam pergunt persequi, & contra cælum dimicando, custodem *Israelis* ad manifestam ipsorum perniciem provocare! Et tamen aperiet ecce Deus vlteriùs impiorum ora, ad manifestam ipsorum convictionem, & confusionem ineuitabilem, cum ex ipsorum faucibus suos benignissimè eripuerit.

Multum erat quod *Saulus Dauidis* innocentiam iustificarit, munificus in hoc Deus, quia reprobo extorquet serui sui approbationem, & exquisita in hoc apparuit Dei iustitia, dum effrenem *Saulis* obstinatiam detegendo, ipsum hac ratione ad condemnationẽ maturauit. Sed interim probitas laudata, alget tamen, & innocentia, licet iustificetur, miserrima apparet. Vtcũq; *Dauidi regnum* promittatur, *vita* tamen periclitatur indies; & ad illius præseruationem arctissimè cogitur, etiam ad innocentiam ipsã apud *Philistæos periclitandam*. Sic quod sperant sancti humanitùs desperant, vt Deo ascribatur gloria cum spes obtinuit: Sic Deus suos præparat ad beneficium consequendũ, vt quò cha-

1. Sam. 27.

tiùs

riùs emitur digniùs æstimetur, meliusq; conseruetur ad bonum nostrum, & Dei gloriam. At nonne *pignus* hîc seruo suo dedit Deus, quo *Innocentiæ præmium* à longè *Davidis* prospiceret? Jmò certè quàm gratiosissimè. Ecce qui os inimici aperuit ad serui iustificãdam innocentiam, is & *Prophetam* facit *Saulem*, quò ipsius remunerationem confirmaret. Audite (Chariſſimi) & providentiam Dei celebrate. *Ecce noui* (inquit *Saulus*) *te omnino regnaturum, et stabile fore in manu tuâ Regnum Israelis.* Audite hic *Saulem inter prophetas*, vt bonum Sanctis, sibi ipsi exitium prædicat. Attendite quid *Hamanis Vxor* marito prædicit *de liberatione Ecclesiæ*, quã verè pronuntiat inimicorum exitium. Sic misera affatur: *quandoquidem è semine Iudeorum est Mardoche, ante cuius conspectum cepisti concidere, non prævalebis ei, sed omninò concides ante faciem eius.* Obseruate obsecro prophetię rationem. *Cæperunt Impij* concidere ante faciem sanctorum, prævalere ipsis dedit Deus contra inimicos suos; Quid inde colligit infida mulier: certè & *magis concident* ante pios impij, donec omnes inimicos penitus subiecerint. *Numquid igitur* signum tibi certum dari cupis de inimicorum confusione? Obserua vt antehac sæpè tibi terga dederint. Num vides Antichristi cristam dimissam, *exhaustum Euphratem*, cornua læthaliter vulnerata, ipsius malitiam, & prudentiã in hac liberatione confusam? Certè desolabitur breui Romana meretrix. *Si è semine sis Iudæorum*, si ex Regali stirpe & prosapia Christi: *Ecce Dominus dixit Domino meo, sede ad dextram meam donec posuero inimicos scabellum pedum tuorum.* An adhuc diffidis promissioni diuinæ, & cum *Gedeone tesseram* dari cupis, vt victoriæ

1. Sam. 24. 19.

Hest. 6. 13.

Reu. 16.

Psalm. 110.

Iudg. 7.

sis certior? Audi quid inimici Dei inter se contra se repetunt. *Ecce somnium somniani, quod ecce tostus panis hordeaceus obvertebat se in castris Midianitarum, & perveniens in tentoria concutiebat ipsa, ita vt caderent, subvertebat q. ipsa, ita vt lapsa iacerēt tentoria: respōdens autem proximus ei dicebat, non est hoc aliud quàm gladius Gedhonis filij Ioaski viri Israelitæ: tradidit Deus in manum eius Midianitas & tota hæc castra.* Sic *Iebusitæ* tremenda contra ipsos pronuntiabant, et ex proditionis huius detectione *Antichristi exitium* ominabantur. Sic *Gardinerus* olim, sic nuper *Garnettus.*

O *sed obijcies*; quomodò hæc inter se conveniunt? *Saulus Davidi* narrat se regnum consequuturum. *Iudaitæ* prædicant Regni sui confusionem, & tamen *persequitur* adhuc *Saulus Davidem* vt vitam auferat, & nihilominus *mare terra q. circumeunt Iesuitæ* vt *proselytas faciant*, & *Ierichuntem* reædificent. An non hoc fraudi detur? Vt nos securos reddant, quò facilius incautos, & non opinantes opprimant? Video certè (dicit infirmus Christianus) Deum ab omni tempore
Ioh. 12. 19. Ecclesiam liberasse, & audio *inimicos pro tempore deiectos, cum Pharisæis* fatentes; *ecce non videmus quod non proficimus quicquam? nam mundus vniversus abijt post eum.* Et tamen video adversarios spem concipere vel confusos, & laqueos suos contra sanctos renouare, vtcunq; antehac Deus ipsos continuè perfregerit; video proditoribus faueri, vtcunq; proditionem detestemur; & ipsos non inermes obseruo, quo adhuc malitiam periculosius exerceant. Nondecisos video, vt putrida mēbra, sed potius transmissos vt proditiones multiplicent; vt verbo dicam, video iniquitatem indies prævalere, in

vn-

undare Impietatem plagam minãtem quam ipsa protulit, & acuentem gladium qui securos feriat. Quid hic datur concipere? Nonne cum *Davide merstò extimescamus ne pereamus olim manu Saulis*? ne Circumcelliones isti profugi *Iebusitæ* tandem contra Ecclesiam obtineant? Et nonne potius de sinceritate remittendum aliquid, & cum adversarijs conspirando conscientiæ naufragium facere pacemq; infidam & suspitiosam pãgere, quàm illis nos opponendo, vlteriús ipsos contra nos exacerbare?

O siste paulispèr obsecro, quicũq; sic offenderis: ausculta paucis vt hunc scrupulum eximam. Age num furit Satan? num instrumenta eius oppugnant insolẽtiùs, & desperatiùs instant? Audi Spiritum sanctũ hunc nodum dissoluentem. *Quod ideò descendit Diabolus iræ magnæ plenus, vt qui sciat se paululum temporis habere.* Apoc. 12. 12.

Quod si igitur membra Satanę vel adhuc intemperantiùs sæuire videas contra sponsam Christi; pro comperto habe ipsorum regnum ad occasum vergere. Atq; ne tibi *verbum* desit, quod hoc ipsum confirmet certius; Perpende vel quid *portentosa Papistarum facinora* nõ obscuré prædicant. Certè si non extimescerent Babelis sui confusionem, imo si non stupidi sentirent virgã Christi igneam, non sic æstuarent blasphemantes nomen Dei; non sic *Euphratem effunderent in seminarijs fouendis & locustis emittendis*, securè profectò sterterent &, vt olim, ventri indulgerent; nõ sic *famam & vitam* contra Ecclesiam Dei periclitarentur. Non sunt, non sunt (mihi credite) pro regno Christi hi sumptus, hi sudores: (quicquid isti impostores in contrarium obtendunt:) *dixerunt enim apertè, nolumus hunc regnare* Luc. 19.

su-

ſuper nos: concordant facta quæ Chriſto obverſantur omnia. Sed pontificia reuerà meretrix ad mortẽ ægrotat, & falcinati iſti ſpurij proprio ſuo ſanguine tã indignam ſuſtinere novercam non recuſant.

Illud profectò eſt. Suggeſſit olim *Satan mendaciorum Pater Phariſæis* filijs, quod *ſi Chriſtum dimitterẽt,*
Ioh.11.48. *venirent Romani, delerent q̃, tum locum, tum ipſorum gẽtem.* Itaq; concludunt tollendum Chriſtum, & ipſorũ regnum ipſius ſanguine ſtabiliendum. Sic malitiã protrudit metus, deſperatio exequitur, & in aſtura ſua malitia impius comprehenditur. Simili ratione Pontificij
2.Theſſ.2.9. *efficacitate Satanæ* tyrannidem adepti hac vna iam ratione ſe ſtaturos vident, vt eccleſiam Chriſti funditus extirpent. Hîc nullus non movetur lapis, quò voti cõpotes fiant: *Volumina edita* quę doctrinam Chriſti cõvellant, & quantum potis eſt corrumpant: *provocati amatores beſtiæ vt ad Arma properent: Seminarij erecti* quæ proditores nutriant, *emittuntur Bullæ* ſeditionum faces quę ſubditos contra principes obdurent, & accendant. *Turbatur* cœlum, *miſcetur infernus, creatura omnes in auxilium ſollicitantur, Inimicus* nõ dignoſcitur, *Amico* ſæpe in hac rabie non parcitur. Quid non tentatur, vt ruentem anarchiam pro virili ſuſtineãnt? Sic merſuris quoduis obiectũ deprehenditur, quo ſæpius ad interitum maturantur; & deſperatis iſtis quę in ſubſidium adhibentur mole ſuâ machinatores ſunt oppreſſura. Hic certè exitus meretricis, hæc illius appropinquantis iudicia. Non igitur miremur ſi pontificij laqueos ſuos contra Eccleſiam Dei multiplicent. Etenim ipſorum regnum læthale vulnus accepit per Evangelij gladium, & vnica iam ipſis ſpes in deſperata impi-

impietate consistit. Et numquid abijciemus confidentiam quia adversarios videmus desperatos? Imò (inquit Salvator noster) *cum ista videtis attollite capita, quia redemptio vestra appropinquat.* Non *evidentius* cuperem mihi dari *signum Antichristi ruentis*, quã quod in *desperatissima scelera* nõ solũ erumpit, sed et laudat etiam, a quibus natura ipsa & ratio abhorret: neq; alijs armis opus habeo, quibus bonitatem causæ meæ asseram, quam quæ ab adversariorum malitia iustissime sũt ministrata. Math. 24.

Tantùm prudentes simus hæc tela sic vibrare, vt *Ezechias olim literas Rabshakes*: Non respondeamus stultis ipsis iuxta eorum stultitiam, non ipsorum metũ metuamus, neq; ad malitiam irritemur; sed possideamus in *patientia* animas nostras, & causam Deo in *fide* cõmendemus, vt *integritatem nostram in lucem proferat*; & propter gloriam suam adversarios confundat. Certum sit nobis quod *propter Deum* malitiam istam sustinemus, quod ipsius *causâ tanquam oves ad mactationẽ destinamur*: *Confidentiam non abijciamus quæ magnum habet præmij retributionem*, sed spe sustineamur, vindictam Deo resignantes, & committentes nos benefaciendo *in fidelis creatoris* manus: et expectemus certissimè, *quod qui venturus est veniet & non tardabit, frangetur laqueus et nos eripiemur, & in foveam cadent adversarij quam nobis foderunt.* Esay 37. 14. Pſ. 44. Hebr. 10. 35. 1. Pet. 4. 19.

Examinemus iam verbo nosmetipsos, quomodo liberatione hac ora nostra aperta fuerint. Accepimus impiorum ora quomodo his aperta fuerint; Nõ solum agnoscere magnitudinem operis, sed potentiæ etiam operatoris subscribere. Imò Innocentiam sanctorum

vlterius approbare et fælicitatem piorum ſuamq; confuſionem pronuntiare. Audiuimus etiam vt fidelium ora huiuſmodi beneficijs dilatata fuerint non ſolum ſe invicem prouocare in cultum Dei et in ipſius ſinceritate confirmare alacrius, ſed vlterius fidelitatem Dei prædicare & ædificare ſibi ipſis miſericordiam in futurum, vt ab omnibus inimicis perpetuò liberentur.

Exploremus ita q; noſmetipſos quomodo ſtupenda hæc liberatio labia noſtra aperuit. Certè tam admirãdum fuerit hoc opus Dei, tam laude dignum, vt ſi nos taceremus, vel *ipſi lapides* quodammodo prædicarent: Jdeoq; metuendum eſt vel ipſos lapides in iudicium contra plures olim venturos, quorum ora aut beneficio tam magno penitús ſunt obturata, aut aperta impiè contra tantam bonitatem Dei. Sic *Papiſtarum vt ora* occluſa metu et ignominia, ita obſtinatia et impunitate blaſphemè iterum aperta. Sic *profeſſorum ut ora riſu impleta*, & lingua cantu, vbi ipſos veluti *ſomniantes* tãquam *titiones ex igne* Deus eripuit, ita veluti *vos matutinus ceſſavit iã ipſorũ gaudiũ*, & tam ſingulari beneficio ingratiſſimo ſilentio ſepulto, *extrema gaudij luctus eſt occupaturus*.

Certè quando *ſecuritatem* obſeruo, quæ liberationem hanc eſt inſequuta, cum terrã gemere audio ſub *blaſphemiarum onere*, quibus gratiarum loco tantam Dei bonitatem excepimus: Cum *Euangeliũ lugere* ſentio, *Atheiſmum inſultare*, cum *impietatem ſecuram* ſpecto, *innocentiam ſuſpectam*; videtur mihi liberationẽ hanc *vt ſomnium* præterire, & *macilentas vaccas pinguiores devoraſſe*. Et nonne *Ioſepho* opus *hoc ſomnium interpretari?* nonne incubuit *Iozbo Davidem ſquallidũ*

&

& torpentem excitare, qui priuatam affectionem pub- 2.Sam.19.
lico bono prætulit? Certè vt *Leprosi* se invicē corrupe-
rūt: cū privato cōmodo nimis indulgebant. *nō recte fa-*
cimus, dies iste boni nuntij est, et nos tacuerimus si expe- 2.Reg.7.
ctaverimus vsq; ad lucē matutinā vtiq; obventura esset
nobis culpa: Jta nos meritò in hac liberationis die pos-
simus coarguere de ingrato nostro silentio, & malū pro-
fectò nobis inde obventurum debitè expectemus, vt si
privato inhiantes, publicū negligamus, in publico pri-
vatim meritò amittamus. Certè vt *tacerem bonitatem*
Dei impiorum malitiam *palliat*, & *obdurat*; ita obdura-
ta Jniquitas *erūpet ferocius* & periculosius opprimet,
quò incautiores oppugnat. Quod si constanter propa-
lemus beneficia Domini, in ipsorum speculo *adversa-*
riorum malitiæ fundum verè dignoscemus, vt ipsā me-
tuamus minùs quo nobis detegitur, & prædicādo mag-
nalia Dei, *adversarijs animas & vires enervemus*. Sic
audito quam magnam liberationem Deus Jsraelitis ex
Aegypto præstitit; *Concidit penitus Cananitis animus*, Ios.5.
& metu se prodebant populo Dei. Et quo magis *Pontifi-*
cij accipient de *sulphureæ proditionis cōfusione*, eò ma-
gis *consternabuntur in malitia sua*, & cum *Iudæis* tandē Ioh.12.
fateri cogentur, Ecce *nihil prævalemus contra dilectos*
Dei, contra cælum nunquid impunè contendemus? O
si *Papistarum ora* tādem sic aperiret Deus, vt se contra
stimulum calcitrare ingenuè agnoscant! Psa.73.

Certè quamvis isti *contra cælum os aperuerint*, &
Deum non obscurè blasphemijs transfigere non desi-
stunt, à precantur ora nostra in laudes Dei, & bonitatē
Dei prædicare non cessemus. Sic *beneficia* Domini eò
magis *prædicemus*; quo *malitiam* inimicorū censerimus

graviorem,& prædicando misericordiam Dei,vt noster erga illum *amor* magis *accendetur*; ita *superstitionis* simùl augebitur *odium*,quæ Deum blasphemè gloriâ suâ tam indignè privat;& quo magis superstitionem odio prosequemur,eò *iustificabimus magis zelum piorum*,& sinceritatem,vt quam in alijs commendamus,eam ipsi libentius amplectamur;et cum redemptis Dei in vnitate fidei coalescamus:Quod si ipsi tandem perceperimus quam suavis est Deus,certè *vt Samaritani se credisse asserebant*,non quod mulier ipsis retulit,sed quod Christum audiuerunt ipsi,& facie cognoverunt. Jta nunc liberationem hanc possimus prædicare, non ex relatione aliorum,sed ex nostra intelligentiâ & cognitione indubitatâ Atq; hoc exprædicatione operũ Dei consequuturum innuit Propheta,vbi addit.

Ioh.4.

Et opus Dei intelligendum proponent,id est alijs cõmunicabunt,cuius ipsi fuerunt participes,& magnitudinem bonitatis Dei verè apprehendendo, exhibebũt ipsam dignè alijs suspiciendam:vt operis capti pulchritudine Authorem revereantur,&qui tam mirabilia facit,ipsi se subijciant.

Sect.4. PIORVM *igitur intelligere opera Dei ipsaq; alijs intelligenda proponere*. Sic sæpe inculcat spiritus: *Quis sapiens et intelliget ista* ac si vera prudentia in intelligendis Dei operibus cerneretur,sic e contra insipientes redarguit:*Vir brutus non agnoscit*, *& stultus non animadvertet istud.quam magna sunt facta tua O Iehova, valdè profundæ sunt cogitationes tuæ*; stultitiæ notã illis inurens,qui opera Dei non studiosè intelligunt vtcunq; & ipsa viderint,& fortassis aliquid de ipsis narrare poterunt.Sic viderunt Judæi mundi saluatorẽ, mul-

Oportet sanctos intelligere opera Domini.
Ps.86.
Ose.14.10.
Psal.92.7.

ta

ta narrare de Messia potuerũt, at nihil certé de ipso intellexerunt quũ ipsũ præsentem indignissimè reiecerũt Sic vidimus proculdubiò omnes quæ Deus pro nobis fecit: Et cuius lingua in tanta bonitate Dei siluerit? At quotusquisq; est qui ad cor apposuit, & pœnitentię dignos fructus protulit? *Hic solus verè sapiens & intelligens populus.* Omnium igitur *videre* quæ Deus fecerit, *narrare* plurimorum. At *rectè intelligere* beneficentiã Dei paucorum hoc certè & tantummodò quibus datũ est. Atqui si *videamus* tantum beneficium, neq; ipsius *magnitudinem intelligimus*, Deum in opere suo nequaquam perspiciemus, & condignas Deo gratias nequimus persoluere; si prædicemus opera Dei cum ipsa non intelligimus, erimus certè sicut æs resonans aut cymbalum tinniẽs, alijs fortasse proderimus, nobis nequaquam. Hinc spiritus sanctus vbi nos a contemplatione operis ad particularem Authoris apprehensionẽ iam deduxerat, vbi dicit, *Et declarabunt opus Dei*, nunc etiam *tertiò* in *Authoris speculo magnitudinem operis comprehendere* docet, vbi addit, & *factum eius intelligendum proponent*: Exinde significans, quod vbi opera Dei aperuerunt oculos nostros, vt Deum in ipsis discamus, in cognitione simul Dei magnitudinem operis intelligamus, vt sacrificium laudis ritè persolvamus. Etenim neq; Deum *optimomembro* celebrare possumus, *si corde* non intelligamus quę Deus pro nobis fecerit, neq; bonitatem operis vnquam percipiemus, si ipsius magnitudinem nequaquàm cõprehẽdimus. Quòd si neutiquam concipimus quàm *bonus sit* nobis Deus, certè ipsi bonum retribuere haud omnino poterimus. Atq; cum *quicquid non est ex fide, sit peccatum*: gratitu-

Deut. 4. 6.

1. Cor. 13. 1.

dinem acceptam Deo iri non expectemus, si ex particulari beneficiorum Dei intelligētiâ non exsurgat. Sic
Eph.3,18. *Redemptionis beneficium* Ecclesiæ cōmendat Apostolus, vt ipsius *altitudinem* & *profunditatem*, *longitudinē* & *latitudinem* assequantur. Sic liberationis nostræ beneficium tum demum percipiemus, cum ipsius *dimensiones* largo corde perlustraverimus.

Certè singularis in hoc apparet nobis Dei misericordia, qui infirmitati nostræ ad hanc spiritualem intelligentiam succurrit ex prudentia spiritus in verbo revelata. Etenim si peregrini non erimus in verbo Dei,
2.Tim.3.17. vti *divinitus inspiratum fuit, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus*. Ita intelligētiam hinc abūdè informatam percipiemus in vera apprehensione beneficiorum Dei; quo gratitudinem ipsis respondentem prudenter Deo metiamur.

Vt instemus tantùm in beneficio Liberationis, in quo corda nostra dilatari cupimus. Observate quæso prudentiam spiritus, vt ad ipsius magnitudinem comprehendendam intellectum nostrum instruit.

Sicut quævis liberatio duo intendit, *Periculum scilicet impendens, nostramq; è periculo ereptionem*. Ita mirificè succurrit spiritus intellectui nostro in particulari vtriusq; horum apprehensione: non solum exprimendo advium magnitudinem periculi, sed & liberationis etiam miraculum dignissimè euehendo. *Magnitudo periculi* per has circumstantias solet innotescere. Primò per *magnitudinem potentiæ* quæ periculum minitatur. Secundò per *mediorum in nobis impotentiā*, quibus malum avertamus. Tertiò per *impossibilitatem auxilij aliundè*. Si potentes sint inimici, periculum licèt ne-

necessariò magnum esse oportuit, non tamèn desperãdum si *vim vi* repellere valeamus. Si virtus à nobis desit, periculum certè maius, præsertim si animus noster hic nos deficiat: Et tamèn nihilò seciùs licèt deficiat caro & ipse animus, subsidij tamen spes non excidit; licet non ab homine qui plerumq; fallit, à Deo tamèn qui nunquàm deficit. Atq; cum lumen vultus Dei à nobis tolletur, *cùm à dextris aspiciemus, & non est qui assistat*; cùm intueamur à sinistris, & nemo succurrit, cùm *dicimus in festinatione quod Deus deseruit*, & inimicos audimus ovantes *quod nos devorarint*: hoc certè periculum videatur inextricabile; et tamèn ecce testatur spiritus huiusmodi plerumq; fuisse matris & filiorum angustias, & in eiusmodi extremis exitum tantummodò reperisse. *Anima nostra vt Avicula erepta est è laqueo aucupantium*, canit ecclesia *laqueo effracto nos erepti sumus*. Observate quæso magnitudinem periculi. Quam in valida est tenella avis laqueum aucupis disrumpere, quam efficax laqueus insipientem aviculam deprehendere? quàm nulla vadendi spes vbi laqueo intricatur? Et tamen ecce anima nostra erepta est sicut avicula è laqueo aucupantiũ: Adeo *desperatũ periculũ, liberatio adeò miraculosa*. Quæ recuperandæ spes prędę vbi faucibus concluditur? *Ecce* (ait Jehoua) *turba captiva robusti auferetur, et captura robusti auferetur*. Quid expectãdũ de titione flãmâ quasi cõsũpto? Ecce talis fuerit cõditio sanctorũ Dei *Annõ iste Titio è flammâ ereptus*? Jmò *qua spes ossiũ aridorũ in superficie Convallis eiectorũ? An reviuiscerent ossa ista dicit mihi spiritus? Et dixi, Domine Iehova tu nosti. Edixit verò mihi propheta de ossibus istis, indicens istis: ô ossa arida audite*

Psal. 142.
Psal. 35
Psal. 31
Psalm. 124. 7.
Esay. 49. 25.
Zach. 3. 2.
Ezech. 37.
3
4
5
6

audite verbum Iehovæ: sic ait Dominus Iehova ossibus istis. Eccè ego inducturus sum spiritum, vt vivatis. Nam addam vobis nervos, & obducam vobis carnem, & super inducam vobis cutem, ponamq; in vobis spiritum et vivetis, vt cognoscatis me esse Iehovam. En hìc conditionẽ desperatam ecclesię Dei, sicut hominem mortuum, & è memoria deletam, imò putridam, & ad ipsa ossa quasi absumptam; vt non solùm ipsius ossa narrare possimus omnia, sed nihil reverâ præter arida & carriosa ossa de ipsâ relicta: Et tamèn dicit Jehova, quòd *hæc ossa revivisscent; adhuc desolata hæc Ecclesia vt pelvis soporifera erit omnibus populis vndiquaq; & vt onerosissimus lapis quo quicunq; onerant se omninò cæduntur. etiamsi congregentur contra illam omnes gentes terræ: sic ad sepulchrum deijcit Deus & rursus excitat;* et ex tam desperatis angustijs Ecclesia liberatur.

Zach. 12. 2. 3.

1. Sam. 2.

Intellige igitur *magnitudinem liberationis* tuæ ex *periculi magnitudine*: & magnitudinem periculi per hæc symptomata conijcito. Revoca in mentẽ obsecro *lathalem* illam *foveam*, quæ tibi fodiebatur, dum adversarij Dei de abscondendis laqueis perniciosissimè cõferebant: & ex periculi illius fundo, quod te obsorbere paratum fuit, liberationis tuæ magnitudinem metiri contende. Magnum erat periculum tuum, quòd (tanquam *ovis*) ad *mactationem* fueras *designatus*; & tamen in hoc maius, quod *periculum* erat *incognitum*.

Hâc enim ratione non solùm omnis evadendi spes humanitùs subata fuit, quod præsentem tuam conditionem reddidit desperatam, sed subitum quod tibi fuisset, in eo quod incognitum, imparato iam tibi, & ratione non perfecta, si modo obripuisset, Considera

ra, qnomodo futuram beatæ vitæ expectationem hac ratione frustraretur. Quòd si illam averterit Deus clementissimè plagam, quod non paratus fueras; ô caue posthac securitate tentare deum tuum, ne inopinatâ denuò similitèr vindictâ iustissimè opprimaris. Certè si malitia aduersariorum sit veluti infernus, qui nequeat satiari, augmentum cogita peccati ipsi fomenta adiecturum. Et quamvis etiamnum parcat Deus, dùm in *rima consistent Iustitiæ* tamen cum malitia tua *pios ê diruptione removerit*, & peccata hac ratione *ad maturitatem perduxeris*, pro certo iam comperies periculum tuum esse ineluctabile: quod ex duritie cordis quod pę nitere nequit, *accumulas tibi ipsi iram in diem iræ: & veniet Dominus in horâ, quam non intelliges, & portionem tibi dabit iustam cum hypocritis, vbi erit fletus, & eiulatus, & stridor dentium.* Hîc aliquam periculi tui vides portionem, vt ex ea magnitudinem liberationis intelligas. Sed attende obsecro & vlteriorem adhuc periculi gradum paucis aperiam. 2. Cro. 36. 15 16

Singulare erat testimonium Paulini amoris erga Iudeos, quod ipsorum reiectionem vel sui ipsius interitu redimendum (si deo fuisset complacitum) non simulatè optaret. Et in hoc subditi obsequium, & amorem nõ fictum perspiciemus si principis sui salutem, vel morte redimere suâ non recuset, quippé quòd publica salus priuatæ anteponenda, & bonum publicum priuato dãno redimendum. Itaq; si vel priuatæ tantum conditionis tuæ ruina in hoc laqueo intenderetur, vel quamvis publicæ saluti malum impenderet, priuato tamen damno potuisset remoueri; minùs profectó fuisset periculum, maior consolatio. Atqui in explebilem hic in- Rom 9.2.

intuere adversariorũ malitiam, & magnitudinem periculi in speculo ipsius vlterius contemplare. Non hic *privati hominis* sanguis inexplebilem istorum malitiã potuisset satiare; sic enim *corpus* superesset, licet *inferius membrum* deerat: Jmò dilata cor tuum & vlterius perpende; Non hic *Regni caput*, non *radix Imperij* ambitionem Proditorum explendo fuerat: *Imbecillior enim prudentia* eousq; consuluit: quod licet *truncus* abscindatur, supererant tamen rami, vt malitia sic detegatur, & ambitioni nihil minus quàm satisfiat. Quis igitur mali gradus? quàm grande periculum? Certè *radicem* & *ramos* vno ictu amputare; *Ecclesiæ* & *Reipublicæ* vel vno momento perpetuam noctem induxisse. En hìc vlteriorem periculi tui mensuram, quæ prę foribus stetit: & magnifica mecum patientiam Dei nostri: qui *etiamsi à planta pedis vsq; ad caput non erat integritas*; Jde oq; si in iudicium contra nos venisset, quis potuerat cõsistere? *Medicum* tamen hìc gratiosè se nobis exhibuit, & carnificum istorum remedia vt malo peiora avertit; ipsosq; crudelitate suâ iustissimè inebriavit. Interim nõ desiste magnitudinem periculi tui in hoc malitiæ gradu intueri; & intellectum tuum extende ad concipienda graviora.

Esa. 1.

Iob 14. 8 9 10 11

Est spes de arbore si exscindatur, adhuc repullulaturam (inquit sanctus Job) *et tenerum ramum eius non desiturum, quum valdè senuerit in terrâ radix eius, & in pulvere iam moriturus est pes eius succisæ: ex odore aquarũ regerminat, & agit ramum velut planta: At vir moritur debilitate fractus, quumq; expiravit homo vbinam est?* Ac si vir Dei assereret nullam planè homini post mortem ad hanc vitam redeũdi spem esse relictam. Et certè

certè si in hac *tantùm vitâ spem haberemus; non solùm* 1 Cor. 15. 19.
viventes omnium essemus miserrimi; sed et mortuis etiam nobiscum omnis spes occidat, necesse est. Sed eccè spem *sanctorum quæ non confundit*, quòd non ipsorum *solùm sanguis ecclesiæ militanti semen est futurum*, sed ipsos etiam præparabit ad *ecclesiæ triumphantis communionem*. Adeò *nũc licèt occiderit, tamen in deo speramus*, Iob. 13. 15.
non solùm quia licet mortui in Ecclesiæ tamen *posteritate vincemus* inperpetuum: *sed afflictio huius tẽporis admodùm existens parva et exigua, gloriam quæ nõ* 2 Cor. 4. 17.
finitur in secula seculorum nobis præparat. Stupendã hìc obseruaui dei dispensationem, quâ suos in futuræ vitæ spe validissimè confirmat: Jdq; *duplici* præcipué *ratione. Primò per Innocentiæ testimonium*, àlimpidissimo bonæ conscientiæ fonte profluente, quæ licet malitiâ impiorum aliquandò poterit supprimi: *proferetur tamen sicut lux, iustitia nostra, et ius nostrum opportunè tã* Psal. 37. 6.
quam meridies, vt morientes licet, *odore* tamen *boni nominis* posteritati viuamus, & memoria sanctorũ in perpetuum sit benedicta. Sic seruo suo Jobo clementissimé deus consuluit, vt quamvis *vitæ ipsum taederet* non tamen innocentiæ. Audite magnam confidentiã, *Quod* Iob. 27. 6. 8.
ad expiravero non amovebo a me integritatem. Rationẽ eccé pulcherrimam subiungit *Quæ enim spes hypocritæ cum divitias accumularit, quum deus decutit desiderium eius*? Jn quâ, non modó falsam amicorum imputationẽ reijcit, qui ipsum iniustè hypocriseos insimulabant; sed innocentiæ suæ testimonium ex confidentia validissimum excitans, non liberationem modò ex præsentibus malis exindé colligit, sed etiam & futuræ vitæ spẽ prudentér ædificat, quam alibi profitetur. *Equidem ego no-*

vi redemptorem meum vivere, & posteriorem super pulverem resurrecturum. Hoc æternitati cõsecrãtur mortui, & in æterna sanctorum animâ sancti vivunt perpetuò.

Secundum quod nos confirmat in spe beatitudinis, est *continuata successio et propagatio ecclesiæ* quæ à gubernatore spiritu subindé sic fovetur, & in maximis defectibus adeò restauratur, vt *militarem stationem sit cõtinuatura donèc amplius non fuerint tali: et tunc nos*
1. Thess. 4. 17. *qui differimur qui vivimus, rapiemur cum ijs simùl in nubes in occursum domini nostri in aera, & ita omni tempore cum domino nostro erimus.* Num igitur spiritum dei in ecclesia vides habitare, ipsiusq; afflictiones sic prudentér disponi, vt quamvis in dies moriatur, in diès vivat tamen. non solùm quòd exteriot *licet homo corrũpitur,*
2. Cor. 4. 15. Ioh. 12. *interuus tamen renovatur de die in diem.* sed continuata ecclesiæ vita, in hoc maximé est stupẽda, quod nisi *granũ moriatur non potest vivere*, & Phœnicis instar morte sua iuventutẽ suam reparat? Num audis Jmpios *Iactãtes, quod nos devorârũt?* Num queruntur pij *omnia esse perdita*, nullam in terris spem superesse: Et tamen Deus in medio sedet, & sic pronunciat de afflictionibus
Proverb. 11. Esa. 6. Ieremi. 30. 11. Ecclesiæ: *Quod radix piorum non dimovebitur, sed decimæ erunt in ea quum reverterit & depastioni fuerit, eius ergò statumen futurum est semen sanctum, sicut in quercubus illis & sicut in roboribus quæ sunt ad portam iectus. statumen est quum faciam cõsummationem in omnibus gentibus quo dispersero te, veruntamen in te non facturus sum consummationem. sed castigaturus sum te modicè, non autem prorsus impunem te relicturus?* Istænè sunt promissiones dei tui erga sponsam dilectissimam?

adeo

adeo nè veracem es expertus Deum in verbo suo? & ecclesiam ex omnibus suis tribulationibus hucusq; vides liberaram, vt ex preteriti temporis experientia, in posterum colligas: *Quod qui liberavit, liberat, & denuo etiam in perpetuum liberabit?* Et ex admirandâ ipsius in hâc vitâ præservatione, ipsius in æterna beatitudine portionem non obscurè intueatis? Quid quæso vel optares magis ad spei stabilimentum, quam juxta *internas tuas*, & *externas tribulationes duplici hoc spiritus testimonio* fulciri, non *internâ* solum *evidentiâ bonæ cõscientiæ*, sed etiam *externâ ecclesiæ dei præservatione*: vt alacritèr promoveare in futuræ mercedis expectationem; quo propositum statum constanter decurras: & vbi curſum fœliciter consummaveris, beatæ vitæ coronam opportunè consequaris: & quid quæso omnia privata tua damna meliùs compensare poterit; quàm quod tu infirmus sis, vt Ecclesia Dei invalescat? quòd tu humiliaris, vt domus domini exaltetur? Immò si modo res ita se haberet vt non nisi morte tuâ Ecclesia amplius sit victura: molestias iam si non qualcunq; viles reputes quæ hac de causa tibi eveniant, si tibi vita hoc munere non postponatur, vt curſum cum gaudio peragat, si in animo tibi non sedeat, *Evangelium Dei nõ solum distribuere sed vel ipsam*, si opus est, *animam*, vt sponsam Dei posteritate relinquas gloriosam, frustrà certè gaudes pastoris nomine, neq; te vnquam spera cum gaudio rationem redditurum, splendere verò perpetuò vt stellam, nihil minùs. 1.Cor.1.10. 1.Thes.2.

Ecce iam sanctorum de futurâ vitâ spem, quęq; ipsis vitam in morte sustinent media, prudenter considera; *testimonium scilicet innocentiæ*, quod omnem malitiã

ſuperabit,& *Eccleſiæ ſemen*, quod tempore non abſumetur: Et narra iam mihi,ſi quam vnquam huic ſimilē malitiam antiquitas vidit, quæ vel *vno laqueo* omnem hanc ſpem expectatione ſuâ devorarat: non ſolum *integritate ſua ſanctos deprivare*,quâ licet mortui poſteritati tamē ſupereſſe poſſent:ſed etiàm(quantùm in ipſis erat)*omne Eccleſiæ ſemen* ſuffocare,vt *ſucceſſio* illius poſteritati amputaretur.Non ſatis fuerat ipſorum malitiæ,innocentibus terræ *vitam eripuiſſe*,quin ipſis etiā *vita vitæ innocentia* ſimul auferretur: *imputando ſcelus ovibus,quod lupi eſſent perpetraturi*. Non *principis vita* ipſorum crudelitatem potuit ſatiare, imo decreverant vel *nomen religionis* funditus extirpare, ideoq; *univerſum ſemen* internecioni devouerant, quod vllā poſteritati ſpem poterat concedere:non *regale* tantum *ſemen* quo Eccleſia in poſterum *nutriatur*,ſed(quantū in ipſis erat)*immortale ſemen verbi* abolendum ſtatuerant,& *iuſtorum* etiam *ſemen* ſimul tollendum; vt omnis *continuanda Eccleſiæ ſpes* poſteritati prorſus eriperetur;vtpote,cui nec *nutritius*, nec *lac*, ne *infans* ſuppereſſet.

O perpende ſeriò iſtius malitię profundum, & abyſſum divinæ miſericordiæ in ſtupendâ liberatione tuâ deprædica. Conſidera, ſi quod vnquam huic ſimile fuerat periculū quo potentiſſimus Deus te clementiſſime eripuit,vt penitius intelligas bonitatem Dei tui,& dilates cor tuum ad meritas ipſi gratias referendas.Sic ex magnitudine periculi quid Deus in hac liberatione pro te fecerit,non obſcurè intelliges.

Atq; ſi magnitudinem liberationis è regione contēpleris,maiora profectò his concipies, vt maioribus adhuc

huc vinculis in obsequium Dei tui constringare. Quid enim? parumnè fuit, quod ad nihilum quasi redactus, & in adversariorum expectatione devoratus penitùs, à potenti tuo Deo mirificè es ereptus? An non magnam liberationem in maxima Dei potentia facile est intueri? Parumnè erat *omnia ex nihilo creare?* Parumne faciem orbis huius vltimi de nouo renouare? *Ecce liberatio sanctorum, quasi nova creatio*: Et nonne de nouo quasi renovata facies Ecclesiæ? Nonne regni iuventus de integro restituta, eiusqs gloria è confusione erepta? O sic renouetur indies in pulchritudine sua, vt sponsa intemerata marito suo offeratur. Parumne erat *hominem peiorem nihilo redimere*, & è potentia satanæ virtute Altissimi vindicare? *Ecce liberatio sanctorum quasi nova redemptio*: & nonne faciem Christi in hac liberatione perspeximus? O sic salutem nostram hæc liberatio oppignoret, vt ad salutem perficiendam fœlicitèr præparet! Parumnè *erat omnia ex nihilo restituere*, & rebus deperditis meliorem conditionem elargiri? *Ecce liberatio sanctorum quasi resurrectio à mortuis. Revivi scunt mortui tui, cadauera quæq; mea resurgunt: expergi scimini, & cantate, qui inhabitatis pulverem: nam ros olerum ros tuus est, postquam in terram expertes vitæ deiecisti.* Et numquid vel crines capitis in hac liberatione nõ recepimus? Annon hisce iam oculis & non alijs bonitatẽ Dei contemplamur? Annon ijsdem labijs Deum pro liberatione nostra prædicamus? O sic aperiantur ora nostra in laudes Dei vt novum canticum novus homo cõcinat. Sic portionem nostram in prima resurrectione habeamus, vt exaltemus capita, quia secunda resurrectio appropinquat. Certè non minimi hîc loco benefi-

Psal. 102. 18.

Esa. 26. 19.

cijſſi ſapimus,) eſt reputandum, quod liberatione iſta *acceptabile viſitationis tempus* nobis Deus extendit, quod pœnitentiæ in eo ſpatium conceſſit vlterius. Nõ itaq; obduremus corda, *ſicut in die tentationis*, ne futuræ redemptionis ſpe merito excidamus. Quod ſi in Deum credemus, qui ſic à mortuis nos excitavit, maiora procul dubio his videbimus. Ecce *Antichriſti confuſionem* in hac liberatione obſignatam, & ſic deſideratiſſimam in illâ, Eccleſiæ liberationem. En Satanam ipſum ſub pedibus conculcatum, & vltimum inimicum mortem fæliciter ſuperatam. Jſta in hac liberatione nobis obſignantur omnia, atq; his magnitudinem illius licet coniectare. Et certe niſi dilatetur cor in apprehẽſione beneficij, nunquam in ipſo verè poteſt exultare. Jtaq; cũ ſpiritus informarat intellectu operis Dei, tum demùm opportunè incitat, vt in Deo gaudeamus; quando addit

Sect. 5. *Pios oportet exultare in bonitate Dei.*

Lætabitur iuſtus in Iehova &c. 1. cum & contemplatione operis Dei apertum fuerit os iuſti ad ipſum prædicandum, & ex narratione tanti operis, cũ ipſius magnitudinem dignè conceperit, tum demum bonitatem Dei ſui in ipſo proſpiciet, & cum apertè deprehenderit miſericordiã Dei os riſu, & lingua exultatione, efũdetur vt Deo roboris, & potẽtiæ gloriã aſcribat. Sic exultarũt iuſti in bonitate Dei: *ſic iuſtos vel maximè decet* exvltatio. Siquidẽ & hiſce ſolis gaudiũ debetur. Jdeoq; *ſi Deus magna pro ipſis præſtitit, verè lætari poterũt*; et ipſi ſoli gaudio probè vti noverunt; ideoq; maiori libertate dilatare ſeipſos poterunt, illi beneficium gaudio norũt ſanctificare, atq; ipſi ſibi hac ratione continuare, ne extrema gaudij luctus occupet. Et certè quod magis nobis

Pſ. 33. 1.

Pſ. 126.

pignus dari potuit exterius diuini fauoris, quam *quod inimici nostri de nobis non clanxerint?* & quę maior gaudij causa nobis exhiberi *quam quod vultus Domini super nos attollebatur?* Quod si *experientia priorum liberationum futura beneficia* nobis oppignoret, si confidēter resolvamus nos à *Goliatho* liberandos, quia pius liberarit Deus *ab vrsa & leone*, & quia *liberavit Dominus & etiamnum liberat*, ideò pronuntiare etiam possimus quod *posthea liberabit*, & ex omnibus tribulationibus suos eripiet. Istud certè vel inexplebili gaudio corda nostra poterit adimplere, ac illius calicis gustu, qui nobis in futura vita copiosissimè defluet. Certè vt iustum est apud Deum *dolorem* ipsis rependere, qui afflictionibus sanctorum superbè insultarunt: Ita *statutū Deo vt cum gaudio metant, qui seminarunt in lacrymis acquisitum semen portantes*; Atq; cum *omni occasioni sit tempus præstitutum gaudendi aquè spacium atq; condolendi.* Ideo licet in die *afflictionis perpendere* debemus, & in *domum luctus opportunè* intrare, in die tamen *gaudij et liberationis consolationem* percipere oportet, & gaudij testificandi gratiâ Dei nostri laudes decantare.

Psalm. 41. 11. Ps. 4. 6. 1. Sam. 17. 2. Cor. 1. 10. Ps. 126. Eccl. 3. 1. Eccl. 7.

Sic Deus ipse hoc tempus præfiniuit, *Liberabo te & glorificabis me.* Sic ipsi sancti hoc tempus impēderūt. Sic exultauit *Moses* & *Miriam* & exemplo suo congregationi præibant, vt liberationem ex Ægypto dignè celebrarent. Tale sacrificium *Debora* & *Barak* pro liberatione sua contra *Canaanitas* obtulerunt. Sic *David* se exercuit, cùm ab inimicis liberaretur. Sic exultavit *Ecclesia a crudeli Hamanis conspiratione liberata.* Atq; vt vbi *iudicium* aut *impenderit* aut *incubuerit* ser-

Psalm. 50. 15. Exod. 15. 1. Iud. 5. 1. Hes. 9.

vis Dei, *Humiliationis* tum diem opportunè ſeparārūt, quo Domino verâ pœnitentiâ fœliciùs occurrerent. Quod *Ninivitarum, Iehoſaphati* & aliorum factum fuerat: Ita cum Deus in miſericordiâ plagam abſtulerit, & magna liberatione ſuos coronarit, ne vnquam tantarum miſericordiarum obliviſcerentur, cum debita gratitudine tanta beneficia proſequantur. Eccè *ſtatos* etiā *dies* poſteritati Deus commendari voluit, & *liberationis nomine* prudenter inſigniri, quæ et eiuſmodi beneficia ab obliuione vindicarent, & populi alacritatē gratitudinemq; *feſtiuitatibus* & *ſacrificijs* prouocarent. Sic *Propheta Diem Midianitarum* poſteritati recolit, quod in illo die populus à Midianitis liberatur. Sic *diem mactationis* ſiue *epularum* memorat Apoſtolus, exercitia diei non obſcurè inſinuans. Sic *epulas feſtinitatum* commemorat *Moſes*, vtpote in quibus nō ab *opera ſolū vacabat ſervili, ſed commemoratione beneficij & verbi prædicatione, adeoq; mutuis charitatis officijs tempus* impendebatur; vt cum *voce inbilationis, ſalutis etiam vox in Tabernaculis iuſtorum audiatur*. Sic à Deo inſtitutæ eiuſmodi ſolennitates; ſic ad Deum etiam piè & gratiſſimè relatę. Sic ad exemplar *Dei cœli, Terreſtres Dij* eiuſmodi feſta inſtituebant. *Talis feſtiuitas Purim à Mardochæo & Heſtere* olim conſecrata, in memoriam magnæ liberationis *ab Hamanis* intēa ſtrage. Talia *Iudæorum Encænia à Machabæo inſtituta. Sic ſereniſſimus noſter Iacobus Nonas Auguſti* ſepoſuit in memoriam admirandæ liberationis à *proditione Gowreorum. Sic nonas etiam Novembris ſtatutâ* lege & *ſtato die* æternitati conſecravit, vt memoria proditorum poſteritati fœtet, et immenſitas divinæ miſericordiæ in ſtupē-

dâ

1 Ion 3.
2 Chron. 20.
Deut 16.
Nehem 8.
Pſal. 118, 15.
Heſt 9.
Ioh. 10.

dâ Regni Ecclesiæq; liberatione meritò extollatur. Sic *Deus* instituit dies exultationis: sic *homo* eiusmodi dies *sobriâ* & *sanctâ imitatione* celebravit, & ipsas etiam posteritati commendavit, non quod *excogitarit alium hic cultum*, quàm qui a Deo instituitur, sed prudentèr *exceperit* iustam occasionem, quæ á Deo offertur, & *maiorem in eo concesserit libertatem* público Dei cultu, vtpote qui ad Deum proximè, *ordinis & decori* æquissimus sit arbiter, *iuxta regalem illam libertatis legem* in verbo præscriptam. Et hic etiam vel privatis personis non *horam* tantùm, sed vel vnum aut alterum in septimana diem licet hac occasione separare ad solennem cultum Dei, vocatione ordinaria intermissa: quippe qui nõ alitèr astringuntur labori sex dierum quam vt aptẽtur melius *spirituali sabbati cultui*; neq; alias eximũtur publico Dei cultui, quam *authoritati parendo, familijs vt consulant*, idq; sine *præsumptione divinæ providentiæ*, & *necessitatis* simul aut *meriti* opinione. Aliã præter hanc festiuãlium dierum institutionem non invenio *legitimam*: neq; istam sanè *vlteriùs approbandã* sentio, quã intemeratè præservatur *ab abusu & superstitione*. Præsertim cum intelligo spiritum reclamantẽ, & eiusmodi festiuitates intra certos limites compingẽtem; *vt in Domino tantùm gaudeamus*. Et certe vel apprimè est necessarium, vt gaudium sic coarctetur, ne si *libertas occasionem det carni, dum in carne seminemus, de carne corruptionem metamus, & sic gaudium nostrum in luctum convertetur*. Quod si in Domino gaudium terminabitur: eccè libertatem abundè indulget spiritus, *Gaudete in Domino semper, & iterum dico gaudete*: sed quomodò gaudium meum in Domino approbem? Gal. 5. 11. Gal. 6. 8. Phil. 4. 4.

Obſerva obſecro hæc indicia.

Num magna pro te fecit Deus et cor tuum gaudio implevit & os exultatione? Certé liberé hic dilatari poſſis, ſi modo *ratum ordinem* & *menſuram* in gaudio obſerues.

Obſervatur rectus ordo, cum quę *à fonte* accepimus *ad fontem* referimus, Deumq; *primum & vltimum* in gaudio ſtatuimus: *derivantes bonum à Domino* vt ſolo datore, & *in Domino* recipientes, vt veram benedictionem: *& referentes ad Dominum*, ne in rivulis hęreamus: Maius intuentes in Deo, quam pręſens ſpondet beneficium, & omnia pro Domino damnum reputantes: *exinaniti* prorſus *omni gloria, & ſucceſſum omnis boni Deo commendantes*. Hic *rectus ordo* gaudendi pro beneficio vt in *Divini amoris abyſſo beneficia eius abſorbeantur*, & exuatur prorſus caro omni ipſorũ gloria. Sic Deus *Alpha & Omega* debet eſſe in beneficijs: et ſic *quæ proximè ad fontem* accedunt beneficia, priori loco æſtimanda.

Beneficia quæ nobis in hac liberatione reſtituit Deus, plurima ſunt profectó & admiranda; eorum tamen alia alijs ad *fontem propiùs* accendunt, alia *dextra quaſi manu* nobis clementiſſimè erogata. Talia ſunt *Sancti ſeminis beata continuatio*, *ipſius Nutritiorum præſervatio fœlix*, *communio Sanctorum, & divini cultus vindiciæ*, omnia conſtantem Dei amorem nobis obſignantia, & confirmantia pacem conſcientiæ, & gaudium ſpiritus. Alia ſunt *levæ manus externa beneficia*; *vt pote patria*, *Amici*, *liberi*, *bona*, & huiuſmodi. Examinemus itaq; noſmetipſos, an exultatio rectè fuerit diſpoſita. Certe ſi de *beneficijs dextræ præcipuè*

gauiſi

gauisi fuimus: Imò si dextræ beneficia illorum quæ à sinistris *iactura redimere* contenti essemus, imò si nunc vtrisq; potiti, *externis* tamèn nos *libenter* possimus *exinanire*, vt in *spiritualibus largiùs effundamus*. Jsta certè bona sunt indicia rectè dispositi gaudij. O si gaudiũ pro hac liberatione nostrum hoc testimonio obsignaretur, quod de *restitutione* Evangelij, & *luminis Israelis* magìs gauderemus, quam de vllo qualicunq; priuato beneficio: & *Ierusalima omni lætitia præferentes*! Ps. 137. O si *inordinati* eiusmodi *gaudij* plures cõuinci nõ possent, vt *beneficijs dextræ* libenter se carere indicent, satisq; sibi factum quod *bona huius vitæ* recuperarent. Certè quocunq; *suprâ dominum* imprudentiùs gaudebimus, *maledictionem* illi beneficio meritò inducemus; *ipsumq;* vt nobis *auferat*, Deum iustissimè provocabimus. Quod si de spiritualibus bonis ita gauisi fuerimus, vt *alia* præ illis *vilia* evaserint, nõ *auferetur* certè *gaudium*, licet *externa* tollantur: & si prudentes fuerimus *maiora* præeligere; *minora* etiam superaddita munificentissimè sentiemus: vt *plenum sit gaudium* in nullo deficiens; & *minoribus vtentes* vt ipsis *cor non apponatur*, sed *extendatur* potius *ad boni datorem*, inventi hac ratione in *paulo fideles dispensatores* constituemur *maiorum beneficiorum*: Vt sic *reponentes Deo* mensura qua accepimus tenuiori, ipse omnia nobis in omnibus tradat, referta mensura in vita æterna. Jta si disponemus gaudium in domino gaudebimus, præcipue si ipsum ritè metiri noverimus: tum *quoad res ipsas*, quibus nos ornauit Deus: tum quoad *rectum ipsorum vsum* & *dispensationem*. Sic discipulis suis *salvator noster* regulam proponit cum ipsos potentiâ admirandâ con- Math. 6. 33.

Luc.10.20. tra oppoſita mala inſtruxiſſet. *At nolite de hoc gaudere quod immundi ſpiritus vobis ſubijciuntur, de illo potiùs gaudete, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Quibus verbis, non ſimpliciter prohibet Chriſtus ne eiuſmodi donis diſcipuli omnino gauderent (eximia enim erant Dei beneficia ideoq; licitum fuit in illis exultare) ſed ipſis potius docet rectã menſuram gaudij vt de prę-ſtantioribus beneficijs largiori gaudio effundantur.

Menſura hæc optime diſcernetur *duplicis extremi* detectione: dum aut *nimis excedamus* gaudio, vbi cauſa non requirit: aut nos ipſos nimis coartamus, vbi occaſio dilatat. Scire itaq; cupis quomodò in hac liberatione gaudio excedas? Certe, ſi te à *priori Impuritate non purgarit*: ſi ad cœlum non promouerit, ſi cum tibi nova in hac liberatione ſunt reſtituta omnia; ipſe tamẽ in veteris hominis fęce hæres, & patientiâ Dei ad cordis duritiem abutare; ſi tibi nõ arrideat magis iuſtitiam
Pſ.50. facere quam hæc omnia bona à Deo recepiſſe. Quare *nomen domini in impurum os aſſumis* cum reformari renuas? Quid tibi miſer *cum gaudio qui in peccatis adhuc exultas? Certe merito poſſis dicere riſui quod inſanit*, &
2.Chron.15. 14.15. gaudio vt longè à te diſcedat. Vel vllum tibi hâc condicione eſt nimis gaudium. Ecce non gaudent *Iſraelitæ donec fœdus cum domino renovarant*, vtcunq; magnam liberationem à Deo obtinuerant: Et importuna profectò eſt omnis exultatio, quam renovatio fœderis cum Deo non prouocat. Adeò vel draconum exultatio deo magis accepta erit quàm gaudium peccatorum quod à pœnitentia non procedit. Reſpiciamus ſaltem hic *poſteros noſtros*: An probe intelligimus quid ſit liberationem excipere ſine reformatione vitæ? Certè *provocamus*

mus Deum vt festivitates nostras detestetur, et solẽnitates nostras meritò reijciat. Sed numquid *me irritant dicit dominus aut non potius seipsos ad confusionem faciei ipsorum?* Certé *vt salvator noster plura se miracula inter conterraneos suos nõ editurum: professus est, propter ipsorum infidelitatem* : ita frustra expectabimus similem Dei manum, si in peccati obfirmationem infœliciter cesserit. Sic non solùm nos ipsos ad *mactationem* hac ratione *maturabimus*, sed & *posteritatem* etiàm exponemus iustitiæ diuinæ, vt peccata nostra in ipsos deus iustissimè visitet. Ier. 7. 19. Mat. 15.

Vlterius vt te deducam in examinãdo excessu gaudij: Num liberauit te Deus, ideoq; merito gaudere potes? O perpende simul *Ioſephum afflictum*; ideoq; etiã vnà dolere debeas. Jtaq; si magìs dolori piorum non possis condolere, quam de priuato tuo gaudere bono, nimis tibi gaudij assumis & fratris causæ concedis minus. Amos. 6.

Examina te vlterius in excessu tuo. Ecclesia Dei nũ liberatur, ideoq; merito gaudere debeas? Cogita tamẽ tecum Apostoli regulam in causâ non dissimili *vt ille alios ita relevatos noluit quo Corinthij gravarentur*, sed rem ità disponit, vt sit ex ἰσότητος, *vt sicut nostra abundãtia* illorum suppleat defectus, ita illorum abundantia similitèr nostros: Jta in hoc gaudij munere nos ità non debemus effundere vt alij grauentur, sed gaudium nostrum sic prudentèr temperare, vt omnes nobiscum vnà gaudeãt, qui beneficij fuerint participes iuxta ipsorum *conditionem* & *facultatem*. 2. Cor. 8. 13.

Sit itaq; *primò spirituale gaudium*, vt Deum & Angelos gaudij consortes habeamus. Sit secundo purum

&

& prophanatione liberum, *vt pios & sanctos deceat laudatio: En Mosen & Miriamũ* purè exultantes. *Mosen cum viris* seorsim, sic cum fœminis *Miriamum*, vt non peccatum modò sed ipsius apparentiam devitent.

Talis *exultatio* & *saltatio* licita si *causa* sit *spiritualis*: sit deniq; *sobrium* & tamen *facundum* gaudiũ: Sic *instrumentis* vtare gaudij ne pauperes deprædentur, quod *potentum* est, & *luxuriosorũ* gaudium: sed ita *effũdare* in benedictionibus Dei vt *vacuos* simul benignè repleas. Sic effundebantur *Iudei* in festiuitatibus suis: *Non solum dona mittebant* eis qui possent *rependere*, sed *charismata etiam pauperibus erogabant*; vt ipsi vnà in communi gaudio gauderent. Hęc Nehemiæ cura in communi causa gaudij vt pauperibus per oppressionẽ divitum doloris causa tollatur; *non modò ipse remittẽdo de gubernatoris dimenso*: *sed ex propria* mensa pauperes relevando, & Jugum diuitum prudentissimè ipsorum cervicibus percutiendo, vt ad ędificationem tẽpli omnes hilaritèr accingantur. Certé nisi pauperum rationem in hac liberatione habeamus; non modò arguemur contemptus pauperum, ac si ipsos a iudicio absorptos cuperemus, quasi terræ tantùm onus essent & nobis gravamina, sed occasionem ipsis dolendi iustam hac ratione dum offeremus, provocabimus rectè eos in amaritudine animæ suæ, vt dum ipsi gaudemus pro liberatione præteritâ, illi contra ad Deum clamando vindictam in nos deuocent. Sic *exaudiet clamorẽ pauperum* Deus & gaudium nostrum confundet, ipsosq; è tribulatione liberando nos in eorum locum conijciet. O si prudentes essemus ista ad cor apponerel si hac expenderemus trutinâ gaudium nostrum! num alijs iusta

Nehem. 8.

Nehem. 9.

Nehem. 5. 8. 14.

Pro. 11. 8.

sta doloris causa evaserit.

Non hic Invidiæ & malitię indultum cupio. *Illa* beneficium tantum non libenter aspicit; *Ista* desolationē intentatam avidè expectavit, & illius bono successu prę omnibus delitijs se saturavit. Itaq; si proditione iā frustratâ efferetur malitiosus, si dētibus frendat, & animo concidat: si spolijs qui inhiarunt, ipsis iam decepti, blasphemēt meretricis amatores, & erepta è faucibus prēda famelici lupi obganniant, adeoq; cor suum dolore exedant: Certè vt iustum super eos invalescit Dei Judicium, ità vel ipsorum supplicio hac ratione debemus adijcere, vt ad eorum interitum non ficto gaudio exultemus. *Sic exultabit iustus cum vindictam viderit, & pedes lavabit in sanguine impiorum*, modò ipsos vt Dei inimicos non tantùm nostros consideremus, & nō vindictæ desiderio, sed ob Dei gloriam gaudeamus. Jstorū igitur dolorē gaudium esse nostrum oportet, quod ipsorum gaudium ex dolore nostro foret excitandū. Quòd si qui *sint a mundo exosi quorum* tamèn *causâ* præcipuè gaudemus. Illis ego præcipuè consultum cupio. Non irritemus *paruulos* qui in rimâ steterūt, nō *percutiamus* amplius *conservos nostros, ac si Dominus noster adventum suum differret*. Certè qui aduentum suum hactenùs distulit, quod pauci interceſſerunt, istis remotis iā tandèm veniet, & fructu consiliorum nostrorum nos iustissimè adimplebit, qui *inimicum fratri* stultissimè prætulimus, & *virgam* amici loco elegimus. Psal. 89.

Deniq; num scire cupis quo modò in gaudio excedas? Certè si non ita *depræsenti* gaudium tuum temperes, vt ampliorem illius thesaurum in *posterum reponas*, moderando te in temporalibus, vt in spiritualibus lucreris,

creris, ſpiritualia ſic exercendo vt *talentis tuis* addatur: Si ita conceſſeris frænum carnali gaudio, vt à priori pro Dei gloria zelo, & ergà ſanctos amore diſceſceris: ſi liberatione iſta mundo adglutineris arctiùs, & plures tibi iam caducæ huius vitę annos promittendo, futuræ vitæ ſpem aut abieceris penitùs, aut remiſſiùs proſequaris: Si ita te affecerit præſentis ſtatus reſtauratio, vt iam pronũties *bonum eſt eſſe hic*, hic tibi exoptes *figi tabernacula*: iam *dicas animæ tuæ, dilatere anima & ſecura conquieſce*, quia in multos annos bona habes repoſita. Jtà ſi te abripuerit præſentis boni in hoc beneficio ſenſus, vt futuræ beatitudinis fidem enervarit: *exceſſiſti* profectò *limites* purioris gaudij & liberationem tam ſtupendam in laqueum tibi convertiſti.

Luk.12.19.

Quod ſi deſideria tua eouſq; adimpleuerit iuſtus Deus, vt portionem tuam exterius adauxerit: ſi *tamen maciem immiſit in animam*, & externo tuo decori quo magìs ſit additum, eo magìs detractum internę pulchritudini: pro comperto certé reputa gaudiũ hoc eſſe proditorium, cui quo magìs concedis, eò magìs ipſum cõtrà te armas, vt non *internas* tantùm in te *gratias* à Satana deprædandas exponat, ſed vel *externis* etiam penitùs denudatum mundo te exhibeat iuſtiſſimè deridẽdum. Sic eveniet homini qui in homine plus gaudet quam in Deo, ſic qui futura negligit præſentia amittet, & gaudium *oris* in *mœrorem cordis* convertetur. Atq; ità gaudij veri limites poſſis excedere.

Pſal.106.15.

Examina teipſum vlteriùs per *aliud extremum*, quo *modo* in menſura gaudij *deficias*, atq; ita vaſorum defectu beneficiorum Dei oleum ampliùs non defluat.

Certè ſi Corde non dilateris in *amorẽ Dei*, ſi teipſius

sus *exinanitum* non sentias pro eius gloria: vtcunq; os risu defluxerit et lingua cantu, *sacrificium* tamen sine *corde* obtuleris, & in mensura gaudij turpiter defeceris.

Si ita exvltaveris in hac magna liberatione, vt *universam* simul *Ecclesiam ipsius participem non cupias*: si precibus cum Deo non contendas pro liberatione fratrum tuorum *ex omnibus* afflictionibus, si è spirituali satanæ captivitate miseras animulas hortatione, & correptione vindicare non studeas: non *assequutus* es profectò *mensuram gaudij* neq; magnitudinem beneficij exvltatione digna es prosequutus. En *Moses* Prophetię dono ornatus, *ipsum vniverso Dei populo indiscriminatim exoptat*: O sic exvlta in particulari tuo bono, vt ipsũ alijs cõmunicare non desistas. En liberatus Davides noster peccatores se vias domini edocturum promittit; & ex divinæ erga se misericordiæ restitutæ sensu Ecclesiæ vniversę meliorem conditionem precatur. O sic à *papistarum rabie* liberati ab ipsorum etiam fermento ignarum nostrum populum liberari contendamus, Deumq; nostrum sollicitare non desistamus votis fidelibus vt prẹsentem ecclesiæ pacem nobis stabiliat, ipsius pulchritudini addendo insuper vt mundata indies sanguine agni, glorioſa tandem evadat Christo suo spõsa sine ruga & maculâ. Eccé liberatus Asa *ab Æthiopum invndatione*, & glorioſiſſimâ victoria à Deo suo donatus, non hìc figit pedem, non securitati indulget; sed vlterius progreditur ad Ecclesiæ liberationem, & *accensus Prophetiâ Obed Prophetæ, abominationes sustulit ex omni tribu Iudæ*. O sic prosequatur Asa noster victoriam contra inimicos Dei; sic abominationes om-

Num. 11.

Psal 51. 13. 18.

1. Chro. 14. & 15. 8.

nes è terrâ auferat, fæduſq; colendi Deum magis ma-
giſq; ſtabiliat. Sic *miniſtros* Dei ſemper foveat, & ab ip-
ſis acendatur vt Antichriſti regnum evertat penitùs &
adventum Chriſti noſtri ſalvatoris acceleret. Sic gau-
dium noſtrum Deus conſummaverit, ipſumq; â nobis
nemo auferet.

Conſidera vlteriùs menſuram gaudij: Num maiora
tibi indulſit Deus in hac liberatione quam meruiſti? &
minora tamen diſpenſavit quàm forté expectaras, vt li-
cet iuſtam gaudendi cauſam habeas pro ijs quæ ha-
bes immeritò, murmurandi tamen occaſionem ſu-
mas pro iis quæ non habes æquè cum alijs; ſi vbi
gaudere debeas *prodigo fratre reuerſo* invidia iam tor-
queris miſer ad fratris portionem largiorem; vt verbo
expediã ſi non ita contentus ſis mẽſurâ quã acceꝑiſti vt
de aliorum maiori menſura nõ æquè gaudeas, non aſſe-
quutus es profectó veram menſuram gaudij, quæ à cõ-
tentatione animi præcipuè dependet.

Agè vlteriùs adhùc, menſuram tui gaudij diſcute.
Num magna pro te fecit Deus? ipſiſq, ita affectus fueris
animo, vt diffluat os riſu & lingua cantu? Certè niſi ta-
men hic *indignitatem tuam*, vel in maximo bonitatis
Dei ſenſu *ſimul perceperis*, niſi *confuſionem faciet tanti
beneficii locote meritum agnoveris*, niſi Juſtitiæ hic di-
vinæ gloriam aſcribas, quod *in te non erat* quin *pœna
proditio obtinuiſſet*, quod *nihil à te* quod ipſam *averte-
ret*: Certè vel adhûc iuſtam gaudij menſuram nõ adim-
pleveris, quod humilitate vera deſtitutus Deo iuſtitiæ
ſuæ gloriam in hac liberatione non conceſſeris. *Canta-*
Pſ.100. *bo miſericordiam, & iudicium* (inquit Davides noſter)
tibi ô Domine, non mihi ſolùm cantabo. Non cantabi-
mus Domino, ſi miſericordiam cantamus ſine Judicio,

quum

quum gloria iustitiæ suæ ipsum exuamus, non nobis cantabimus si iudicium sine misericordia decantemus; quum misericordiæ solario nos ipsos deprivemus. Misericordia itaq; Dei cantanda simul cum Judicio, vt vtriusq; gloria Deo soli reserveturr Misericordiæ gloria, dum iudicium ipsi coniungendo misericordiæ gratuitatem sincerè prædicamus, gloria item iustitiæ, dùm misericordiam ipsi prudenter adiungendo, iustitiam à misericordia absorptam, & iustam revera misericordiam agnoscamus.

Denique num scire cupis quo modò in gaudio deficias? Certe si ita tantùm in liberatione tuâ exultaveris: vt Jsraelitarum instar idem fuerit tibi precationum, & gratiarum terminus. Si liberatione ista in præsentibus malis non solum erectus sustenteris, sed ad futuraetiam bona cum gaudio fueris incitatus. Si in monte Moriæ terram Canaaniticam non possis à longè intueri, et in liberationis istius gloriâ cælestem gloriam contemplari: Jmò si futuræ vitæ gaudium in hac liberatione eousq; non gustaveris, vt ipsius dulcedine prorsus inebriatus, omnia hæc externa tibi iam non sordescant penitùs, vt mundo non sis crucifixus & mundus tibi; si tibi vita iam in Christo non sit abscondita quam sic ab inferno Deus eripuerit, si mors non desideratissima quòd sic vitæ restitueris; caligat profectò oculus fidei, qui à longè videre nequit, brutescit ipsa mens, quæ cæno sic conspurcatur, & inane gaudium quod hac vitâ terminatur. *Cantabo misericordias Domini in perpetuũ* spondet Davides noster, & à generatione ad generationem veritatem Dei prædicabo. Jta non plenè gaudet, qui non cantat in perpetuum, et in perpetuum canta- Ps. 89. 2.

re nequit qui vltrà hanc vitam non proſpicit. Conſideremus iſta qui participes fuerimus magnę huius liberationis vtrum eiuſmodi gaudium in cordibus noſtris ſeverit Deus, quod nunquam auferri poterit. Certè qui in preſenti beneficio ita gauiſus fuerit, vt in ipſius ſpeculo cæleſtem hæreditatem valeat intueri, is non gaudet ſolùm in Deo, ſed gaudendo confidit; & vt gaudendo in Domino veram fidem indicat, ita in Deum confidendo gaudium ita adauget, vt illius menſurâ impleta à fide ad ſenſum perfectiſſimum procedat in vitâ futurâ.

Sic enim ſequitur.

Et confidet in illum, & omnes recti corde gaudebunt: i. non gaudebunt ſolum ſancti, quod tanta pro illis Deus fecerit, ſed confident vltrà in Deum, vt pleniùs gaudeant, cum verâ in Deũ fiduciâ ſe rectos corde approbarint.

Sect. 6

Oportet ſanctos in Deum confidere.

Rom. 14. Rom. 4. Eph. 6.

CONFIDERE igitur in Deum vlterior nota gratitudinis. Hoc proprium ſanctis: hoc beneficia *ſanctificata*, hoc ſanctificatum gaudium, hoc plenum redditur. Hoc Deus *glorificatur*, hoc *Satan confunditur*. Sic *intuendo* opera Dei, illa ſancti *prædicant* & ipſa prædicando penitiùs intelligunt; quo *pleniùs intelligunt*, eò *ſolidiùs gaudent*, & quo gaudent puriùs, eo conſtantiùs credunt: & aſſequendo fidei exitum, ad plenitudinem gaudij in beatitudinis fruitione aſpirãt. Hęc ſcala paradiſi, hic vſus liberationis.

Beneficia itaq; Dei fidem confirmant, dum in ipſorum magnitudine datorem contuentes, à rivulis ad fõtem prudentèr attollimur; vt in ipſum credentes maiora percipiamus, & perfecti tandem evadentes in *Ieſu Chriſto* plenitudine gaudij abundè ſatiemur.

Pro-

Probatio itaq; sinceri gaudij est vera fides. At quo modo fidei virtutem experiemur? Quo modò liberationem hanc tantam fidem nobis confirmasse comperiemus?

Certe vt non omnium est fides: ità nec omnium fides omnibus Dei operibus confirmatur. 2.Thess.3.1.

Exploremus itaq; nos metipsos vtrum simus in fide necne, examinemus inquam. An nescimus *quod scriptura omnes conclusit sub peccato* vt promissio per fidem *Iesu Christi credentibus daretur*? Certè *naturâ eramus filij iræ*, vincti Satanæ peccati mancipia. *Atqui Deus qui misericordia dives est ex magno amore suo quo nos dilexit, etiam cum in peccatis essemus mortui, vivificavit nos simul in Christo, per cuius gratiam salvamur, & excitavit nos simul, fecitq; vt in cælestibus cum Christo sederemus, vt ætatibus venturis misericordiæ suæ divitias annuntiaret per benignitatem ipsius ergà nos in Iesu Christo. Gratiâ enim servamur per fidem idq; non ex nobis. Est enim donum Dei*. Jtà per fidem gratiam quæ est per Christum cõsequimur, & fidem non à nobis sed ex Dei dono obtinemus. Sed quibus tandem medijs? *Scilicèt fides est ex auditu, & auditus per verbum Dei*. Gal.3.22. Ephes.2.3. 4 5 6 7 8 Rom.10.14.

At numquid omnes qui audiunt verbum statim credunt? Jmò *licèt sonus ipsius per omnẽ terrarum exivit*, non tamen omnes Evangelio credunt, *sed quibus datũ est*. Qui tandem illi? Certè electi Dei ante iacta mundi fundamenta. Hos Deus à mundo per verbum separat; hos per spiritum in mundo gratiâ fidei imbuit, vt non credant tantum eis quæ in verbo audiunt, sed Christũ præcipuè in verbo apprehendant, eiusq; merita sibi ipsis applicantes transformantur simùl in imaginẽ Christi, Rom.10.18.

Rom.12.1 sti,& *rationale ſacrificium* ipſi iugiter perſoluunt dum ipſius gloriæ, & Eccleſiæ vtilitati ſe totos impendunt. Jta Chriſto adiuncti fide, Deo *etiam Patri perfectè reconciliamur*,& *reconciliati Deo pacem conſcientiæ conſequimur*,*quæ omnem intellectum*,*& rationem ſuperat*, & pace intus factâ,*confidentiam habemus apud Deum*, *& appropinquamus vero corde in fidei evidentiâ*: *& cum fiduciâ accedentes ad thronũ gratiæ*;(*Deo ſpiritum ſuũ in corda mittente*) *clamamus Abba pater. Et hæc eſt certitudo quam in ipſo habemus. quod ſi iuxta voluntatem ipſius quicquã petamus auſcultat nobis*, & vota reſpicit. Jta cum apud Deum prævalebimus etiàm cum hominibus. *Et hæc eſt victoria quæ vincit mundum ſcilicet fides noſtra.* Jtà *non ſolùm fidei ſcuto ignita ſatanæ ſpicula repellimus*,*ſed in omnibus tribulationibus pluſquam victores evadimus. Itâ fratrum converſionem converſi ipſi laboramus*,& ſalutem nobis noſtram in comparanda alijs ſalute confirmamus. Jtà *fide non ſenſu ambulãtes*,*civitatem quærimus*,& verè *milites Chriſti*,*mundoq; peregrini*, non modò *nos non involvimus huiuſce vitæ negotijs*,*ſed mundo mortui*,*imò vel crucifixi*:*ea quæ ſunt ſurſum quærimus & inſtamus metæ non deſerentes ſocietatem nec abijcientes confidentiam ſed in pace poſſidentes animas noſtras*, *certamen fidei fortiter decertamus & æternam vitam tandem apprehendimus. Itâ curſum vbi fœliciter conſummavimus recipimus fidei noſtræ finem*,*ſalutem ſcilicet animarum.*

Rom.5.1. 1.Ioh.3.20. Heb.10.23. Gal.4.5. 1.Ioh.5.14. Geneſ 32.28. 1.Ioh.54. Rom.8 30. Luc.22.32. 2.Pet 1.10. 2.Cor.5.7. Heb.11 2.Tim.2. 3 Col.2. 3.Phil.13. 5.Gal. Heb.10.3. 1.Tim.4 6.7. 2.Tim.4.6. 1.Pet.19.

Sic fidei hanc gemmam fœlicitèr aſſequimur, ſic virtute fidei fœlicitatem obtinemus. Jſta ſunt viva veræ fidei indicia; Jſtis nos probare poſſimus vtrum ſimus in fide.

Quodſi

Quodsi ex ijs sumus qui *de proposito Dei non secundū carnem vocati sunt: vt omnia certè in nostrum bonum indubitatè cedunt, ita cum nihil sine fide placere Deo potest*, ad fidei tum confirmationē oportet cedere quicquid Deo complacitum fore cupiamus. Rom. 8. 29. Heb. 11. 6.

Examinemus igitur nosmet ipsos vtrum magna hęc liberatio, fidem nostram confirmarit: vt vel hoc nos verè filios Dei approbemus, quod tantum Dei beneficiū in nostrum bonum evaserit.

Certè si liberationem ipsam dignè perpendāmus, discernemus profectò ab illius parte documenta quam plurima quæ fidei nostræ imbecillitati possint succurrere. *Etenim cum accedentem ad Deum oportet credere* quod Deus sit, quodq; remunerator sit eorum qui ipsū quærunt. An clariùs nobis *divinæ providentiæ* speculū dari potuit quam hæc liberatio? Annon patientia Dei in sustinendis tam diu proditorum machinationibus, annon potentia in confūdendis immediata effulgebat? Annon *iustitia* Dei emicuit in proditoribus pulvere suo corripiendis? Annon misericordia in liberandis suis & tanquam titionibus e flammâ eripiendis? Heb. 10. 4.

Certè vt híc Atheum satis confudit Deus quod seipsum tam clarè nobis in hac proditione gubernandâ exhibuerit: Jta si Christiani fidem hoc ipso non confirmarit, ab Atheo Christianum meritò condemnandū expectemus.

Quodsi Deum in hoc opere suo clarè perspexerimus, ipsius etiam *constantiam* simul apprehendemus, intelligemus ipsius manum non esse abreviatam, eandem Dei etiamnum invigilare nobis providentiam, ab eadēm providentiâ vlteriores liberationes expectandas. Et nonne hinc maius offertur quiddam ad fidem con-

2.Cor.1.10. confirmandam, cum *qui liberavit, liberat & denuò liberabit?* Annon in *liberatione* hâc magnâ Deum *adhuc liberantem* intuemur, annon ſtâbiliamur fide quod in futurum liberabit?

Quid quod liberatio ſanctorum quaſi nova creatio? & nonne pulchré hinc docemur ſupra ſpem in Deum recumbere ipſiq, gloriam credendo aſcribere? Ecce piorum liberatio eſt quaſi noua redemptio: & nonne hinc ad Chriſtum cogimur, vt in eo fide acquieſcamus?

Et nonne Reſurrectio mortuorum fides Chriſtianorum? Certè excitati ſuimus è ſepulchro tanquàm mortui & quaſi arida oſſa vitæ reſtituti. & quid hoc aliud docet quàm in Deum credere licét nos occidat; *quã*

Iob.13.15. 2.Cor.1.9. *in ipſum recumbere qui à mortuis excitat?*

Age quos tandem liberavit Deus? Annon Eccleſiã ſuam dilectam ſponſam columbam vnicam? nonne ſãcti huius ſeminis gratia ingrata natio tam miſericordẽ Dei manum ſenſerit? Eant itaq; qui apud nos Eccleſiã Dei eſſe negent, cum ſimilitèr & nos liberaſſe Deum negare poterint

Quod ſi Eccleſiam ſuam apud nos iuſtificarit Deus: Annon fidei confirmandæ hinc materia ſubminiſtratur vt et diſcernamus eccleſiam, ipſiq; agregemur? Et certé ſi ex hoc ſciamus *in gratia nos eſſe Dei*, quod *inimicos non patiatur de nobis triumphare*: Annon hoc abundé patefecit Deus in hac liberatione? et cuperemus tandem fidei virtutem dulciorem, quam favorem Dei ſuper nos apprehendere? Itaq; multis liberatio hæc ſigillis ſpecialem Dei noſtri favorem nobis obſignat; & totidem quaſi teſtibus, aut fidem à nobis exigit, aut ipſius defectum in nobis convincit. Examinemus itaq; nos metipſos an ſimus in fide, vtrum liberatio iſta fidẽ nobis confirmarit.

Psalm.41.11.

Cer-

Certè si *manum Dei* non *abbreviatam agnoscamus*, in hoc mundi deliquio: si ab experientia speciali Dei providentiæ in hac præsẽti liberatione, *futuras liberationes & colligere* possimus, & *suspirare*: Si ad futuras liberationes vt meliùs præparemur, *ulteriores tribulationes* prudẽtér expectemus, & ipsis subiecti *purgamur ad futurum gaudium*. Si *deo coniungamur arctiùs*, qui sic à mortuis liberavit; si *Antichristum detestemur animosius* (qui supra omne quod vocatur Deus se blasphemé exaltavit) quo ab ipsius faucibus miraculosius simus erepti: Si *diligamus* ardentiús *fomenta fidei verbum, sacramenta*, & huiusmodi: *Si vitæ novitati* incumbamus studiosius, si *ecclesiæ paci studeamus incorruptæ*, & ad illius perfectionem nos simul perpoliamus: Si ore fateamur ad salutem *Deum à huc Israeli bonum esse*: si *sanctum* apud nos *semen* foveamus hilariter; & domicilio fidei præcipué benefacimus: Si *Inimici Domini iam fuerint & nostri*, & cum proditionem hominum tam odiosam apprehendamus, *intelligemus simul quàm* sit abominandum *causam Dei prodere* ipsamq; adversarijs deridendam, deprædandamq; exponere. Si *hypocrisi renuntiatâ sinceritati cordis* iam tandem studeamus, & reiectis hijs ignominiæ pallijs *veritatis nos assertores* indubitatos constantèr exhibebimus. Deniq; si in brachium carnis non confidamus amplius, quod sic humiliarit Deus: sed Deum nobis scutum faciamus qui sic à mortuis excitavit si ad metam properantes iugiter cõtendamus, si modò resurrectionem mortuorum possimus consequi: si principum conditionẽ precibus muniamus lubricam, ipsosq; (vt homines morituros) stultè non adoremus: Si Deum super omnia piè exaltemus, nosq; ipsius misericordia indignos agnoscamus: hijs Ps. 37. 1

certè indicijs fidem noſtram in Deũ comprobabimus ſic nobis liberationem hanc fidem confirmaſſe.

Quodſi corde iam tandèm ad ſalutem credamus: *Ecce confirmabitur hac ratione interna ſinceritas*, & conſcij hoc indicio integritatis noſtræ, *effundemur largiùs puriori gaudio*, vt ipſius menſurã tandẽ adimpleamus.

Hoc enim eſt quod addit propheta. *Et omnes recti corde gaudebunt*. i. Non lætabuntur ſolum Juſti in præſentis ſenſu beneficij, ſed ex internâ cordis integritate ius ſuum in illud apprehẽdentes, vel *iterùm gaudent in Domino ſuo*; & gaudium ipſorum nemo auferet.

Intuemini (viri Fratres) fructum beneficiorum Dei, quod piorũ corda gaudio adimpleant: obſeruate menſuram æternæ beatitudinis, plenum ſcilicèt in fauore Dei gaudium. Probate itaq; vos metipſos an ſitis in fide: nũ in tanta liberatione purè exultaveritis. Probate ſi fidei exitum iam tandem conſequamini, ſalutem ſcilicet animarum veſtrarũ, ſi in omnibus agentes gratias plenum in Domino vnico gaudium percipiatis.

Quodſi verè in Domino pro beneficijs ipſius gaviſi fueritis, attollite iam capita veſtra quia redemptio veſtra appropinquat. Ecce liberatio hæc pignus *redemptionis*. Ecce & *Reſurrectionis* noſtræ teſſera vel pulcherrima. Expectemus itaq, Chriſtum è cœlis adventantem quoties boniratem Dei in hâc liberatione contemplamur, & præparemur hilariter in occurſum Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Cui cum Patre & Spiritu ſancto Deo vni & trino in perpetuum beatiſſimo, omnis Maieſtas, potentia, gloria, Laus, Dominatio, cum gratiarum actione in omnem æternitatem aſcribatur.*

FINIS.